GAZZANIGA

ET

BERTIERI

THEOLOGIA DOGMATICA.

THEOLOGIA
DOGMATICA

IN SYSTEMA REDACTA

A FR. PETRO M. GAZZANIGA

ORDINIS PRÆDICATORUM

ET FR. IOSEPHO BERTIERI

ORD. EREM. S. AUGUSTINI

PROFESSORIBUS VINDOBONENSIBUS

IN QUATUOR TOMOS DIVISA

ADDITA IN CALCE

FRANCISCI VERONII

REGULA FIDEI CATHOLICÆ.

TOMUS I.

NEAPOLI,

Apud Januarium Mirelli bibliopolam

Via dicta Quercia Num. 17.

MDCCCXXIX.

Ex Typographia in Clivulo Divi Marcellini
Num. 3.

EDITOR NEAPOLITANUS

LECTORI

S.

Prae ceteris nuper conscriptis Theologiae Dogmaticae Institutionibus, iure merito eminere creduntur quas Cl. Viri Petrus M. Gazzaniga, et Iosephus Bertieri in usum Caesarei Gymnasii Vindobonensis ediderunt. Ut enim de concinna Latinitate sileamus phaleris omnibus, et lenociniis experte, quaeque gravi ornatu suo et maiestati Disciplinae, et Auditorum necessitati mirum quantum respondeat; nitidissima hic elucet sacrae eruditionis frugalitas, cum operae pretium se facturos iudicassent Viri doctissimi, si materiae lucem potius affunderent, quam nebulas per anxiam illam et miseram philologicorum excursuum pompam. Sed minimae haec sunt huius Operis dotes, si cum praestantissima illa methodo conferantur, unde sine ullo verborum ambitu maximum Christianis veritatibus lumen emergit, ac si delectus testimoniorum perpendatur, quibus tamquam fortissimis praesidiis Romana traditio adstruitur. Quam ob rem aequi rerum aestimatores fatebuntur nihil hoc Theologico Systemate accuratius, nihil elegantius usquam apparuisse, tironibusque recte instituendis aptius. Hinc Opus istud utilissimum bis Vindobonensi-

bus, ac rursus Venetis typis recusum brevi divenditum est: ut mihi spes sit editionem hanc Neapolitanam simili felicitate mox distractam iri, praecipuè cum nec sumptui, neque curae ullo pacto pepercerim, quo longo intervallo aliis praecurreret. Profecto, cum editiones Vindobonenses duo, ac praesertim Trattneriana, mendis plurimis scateant, quibus purgandis Cl. Gazzaniga oculis tunc laborans vacare non potuit; haec omnia non sine insigni auctario operae Venetae adoptarunt: at summum studium hic adhibitum est, ne tam scitum opus iniurio tot errorum allapsu foedaretur, quo potissimum nomine Cll. Auctores mecum gratulari debere confido. Deinde, ut possint hi libri commodius circumferri, septem in partes distributi sunt, quarum priores quinque a Cl. Gazzaniga elucubratae, Sidere illo almae Universitatis Vindobonensis, *ut eum merito appellat doctissimus Ant. de Haen* (1): *posteriores duo auctorem agnoscunt laudatissimum Gazzanigae Collegam Berterium. Cumque non infrequens mentio in hisce Scriptis occurrat celeberrimi Opusculi Veroniani* de fide Catholica, *illud hostimenti loco ad Operis calcem subiungendum duximus. Haec omnia quatuor Voluminibus mediocri mole comprehensa, et perquam nitide impressa vides. Fruere igitur, et bene Vale.*

---

(1) Dissert. Theol. Phys. *de Mirac. Cap.* 1.

PROOEMIUM.

Recta docendi methodo non jucunditatem solum discentibus, sed etiam magnam afferri utilitatem nemo ignorat, aut diffitetur: quamobrem nihil consultius, nihilque Theologiae auditoribus utilius excogitari, aut fieri poterat, quam si omnes illius partes in tale systema redigerentur, ut una ex altera flueret, et priora sequentibus lucem communicarent; et ita veluti uno obtutu pulcherrima Theologiae nostrae forma appareret. Quod quidem non aliter obtineri posse videtur, quam si ipsam nativam rerum nobis propositarum seriem consectemur; ut quoniam Theologia dogmatica earum veritatum scientia est, quas Deus ad nostram aeternam salutem procurandam revelare nobis dignatus est, hunc ipsum divinae reve-

lationis, ac nostrae salutis ordinem pressis vestigiis sequamur.

Porro, postquam revelatio primis humani generis parentibus palam facta hominum perversitate, ac Daemonis fraudibus sensim ac sensim obliterata, ac pene deleta erat, placuit Dei bonitati, illam per Patriarchas, et Prophetas identidem renovare: immo non contentus ea traditione, qua bis mille annorum spatio fuerat a patribus in filios derivata, voluit postea revelationem scriptis θεοπνεύστοις consignari, ita ut duplici quasi repagulo munita, facilius pura, et incontaminata conservaretur. Ea tamen fuit divinae sapientiae oeconomia, ut quibusdam quasi gradibus hujusmodi revelatio semper magis perspicua, atque illustrior fieret, donec tandem per ipsum Unigeniti Filii sui os, atque doctrinam in clarissima, apertissimaque luce collocaretur; et ita quidem, ut non aliter, quam per Christum in veram Dei notitiam pervenire possimus, dicente eodem Christo Domino Matth. XI. 27. *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

Hujus itaque sapientissimae oeconomiae vestigia in nostro Theologiae systemate sequentes, illud primo obtinebimus, ut ex copiosissima luce, quam Christus Dominus

Salvator noster toto orbe diffudit, ea, quae in Veteri Testamento quodam quasi velo obtegebantur, nudis, ut ita dicam, oculis intueri ac contemplari possimus.

Neque hoc solum, sed simul cum luce, et perspicuitate, maximum etiam Theologiae decus, atque splendorem ex hac methodo accedere oportebit; cum enim ipsa totam suam dignitatem a revelatae religionis majestate mutuetur, nihil autem in ea majus, aut augustius sit, quam illud divinae Incarnationis mysterium, quo via ad salutem per peccatum occlusa nobis iterum per Jesum Christum reserata est; hinc eo nobilior, atque augustior erit nostrae Theologiae methodus, quo nobilior atque augustior erit in toto illius decursu nostrae semitae dux, et quasi cynosura; nempe ille ipse humani generis Redemptor, qui ante secula destinatus, statim post hominis lapsum promissus, tot veteris Legis sacrificiis, et coeremoniis praefiguratus, exspectatus a Patriarchis, a Prophetis praenuntiatus, ac tandem per Evangelium mundo universo propositus fuit tanquam una ad salutem via, atque illud ostium, per quod solum introire ad regnum coelorum possumus. Quanta igitur hinc accedet Theologiae nostrae dignitas, atque sublimitas, cum tot splendidissimis di-

vinitatis ipsius radiis quasi refulgens coruscabit?

Sed nec illud praetereundum, quod ordo iste latum nobis aperiat campum; quo Religionis revelatae primam originem, progressum, ac totam plane historiam Auditorum animis altius insculpere possimus; cumque apparuerit summa, atque incredibilis Dei benignitas, qui homines per se ipsum alloqui non est dedignatus, eosque rectam, ac tutissimam salutis semitam edocere; tum infinita ejus potentia, qua stupendis, atque inauditis prodigiis suam revelationem quasi totidem divinae veritatis sigillis confirmare voluit; perpetua insuper, et beneficentissima Providentia, qua tantum opus suum per tot annorum millia perenniter conservare, ac regere pergit, qui fieri poterit, quin Auditores magno Religionis, atque etiam Theologiae amore capiantur, in eaque addiscenda, tuendaque omnem operam libentissime conferant?

Idque eo magis consequemur, si Religionis nostrae historiam tot Deitatis characteribus illustrem cum Ethnica superstitione vel tantisper conferamus. Haec enim, quamquam a summis Philosophis magno labore illustrata, et a celeberrimis Poetis elegantissimis carminibus exornata, in comparatione

Religionis nostrae adeo jejuna apparebit, et manca, tot insuper tantisque commentitiis fabulis referta, imo tot fictitiae Divinitatis sceleribus conspurcata, ut nemo stomachum continere possit. Nostrae autem Religionis facies ubique decora, et superna quadam majestate plena, ubique Deo auctore suo digna refulgebit: sancta, et pura in suis praeceptis, sublimis, et admirabilis in mysteriis, firma, et certissima in suis credibilitatis motivis, una denique, quae possit nos in hac peregrinationis via sancto caritatis vinculo sociare, et in coelesti Patria ineffabili, ac perpetua beatitate felices reddere. Nullam itaque aptiorem, melioremque Theologiae tradendae methodum ea invenire possumus, qua simul et rerum dicendarum perspicuitati, atque ordini consulatur, et augustae nostrae Religionis, ipsiusque Theologiae dignitas luculentius appareat.

Necesse tamen est, partem isagogicam praemittere, qua sanctissimae Religionis nostrae prima fundamenta exponamus, eaque contra Incredulos, perniciosissimam seculi nostri pestem, qui ea funditus convellere nituntur, tum contra Heterodoxos, qui eadem corrumpere, et vitiare tentant, quantum temporis augustiae sinunt, solide defendamus; quibus, qua fieri poterit, brevitate expedi-

tis, ex communibus Theologiae prolegomenis pauca seligemus, quae nostris Auditoribus utiliora videbuntur. Sit itaque Deo auspice Pars I. Isagogica.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ
IN SYSTEMA REDACTÆ
PARS PRIOR.

CAPUT PRIMUM.

De Religione.

§. I.

Puram, sanctamque Religionem Deo deberi vel ex eis solis constat, quae de mundi creatione, conservatione, et providentissima gubernatione in ea Metaphysices parte, quae *Theologia naturalis* inscribitur, fusius tradi solent. Si enim creaturae omnes ad gloriam Dei manifestandam suo modo diriguntur, quemadmodum David Psalmo XVIII. et CXLVIII. exponit; quanto potiore jure homo ratione, et libertate donatus Deum auctorem, conservatoremque suum, et a quo id omne habet, quod habet, laudare, diligere, et colere debet?

Deo ex pluribus capitibus Religio debetur.

§. II.

In hoc enim posita est *Religio*, ita verosimilius dicta *a religando*, quod hominem Deo obstringat, cum eoque colliget, ut observat Lactantius Lib. IV. *Divin. instit.* Cap. 28. quare et definitur *modus*, aut potius *virtus Deo debitum honorem, et cultum reddens.*

Religio quid?

§. III.

Hinc patet, cultum a religione praescriptum debere esse naturae Divinae ejusque attributis consentaneum; alias religio erit falsa, seu potius nulla, et mera superstitio, qua *cultus Deo exhibetur eo modo, quo non debetur*; quemadmodum etiam

Quid superstitio?

superstitiosus est cultus, eis exhibitus, quibus non debetur; quod gentibus exprobrat S. Paulus Rom. I.

§. IV.

Divisio religionis.

Dividi communiter solet religio in *naturalem*, et *revelatam*; qui tamen loquendi modus minus accuratus videtur; religio enim unica est, eaque tota revelata; primo quidem sola traditione, post autem etiam scripto propagâta (*). Quantum tamen ad rem ipsam hac divisione nihil aliud innuitur, quam in religione esse quasdam veritates, quae *naturales* dicuntur, quatenus naturales humanae rationis vires non superant; aliae vero dicuntur *supernaturales*, aut *revelatae*, quia nonnisi supernaturalis revelationis ope innotescere poterant; cujusmodi sunt mysteria fidei, et plura praecepta positiva a Deo hominibus imposita. Hujusmodi veritatibus *naturalibus* et *supernaturalibus* una, et sancta religio constituitur, qua ut S. Augustinus inquiebat (initio Libri *de vera Religione*) *unus Deus colitur, et purgatissima pietate cognoscitur principium naturarum omnium, a quo universitas et inchoatur, et perficitur, et continetur.*

§. V.

Cultus religionis internus, et externus.

Cultus, quem Deo debemus, alius est *internus*, isque praecipuus, qui in interioribus cordis affectibus, maxime autem in actibus fidei, spei, et caritatis situs est, dicente S. Augustino (in *Enchir.* Cap. 6.) *colitur Deus fide, spe, caritate*; alius *externus*, quo coeremoniis, ac ritibus quibusdam obsequium supremo Numini debitum manifestamus. Hic tamen ritus rationi consentaneus sit, oportet, Deoque dignus; in quo Gentiles omnes admodum peccasse, inferius observabimus.

§. VI.

Uterque necessarius.

Deum cultu interno adorandum esse, nemo eorum dubitavit, qui Deum esse nostrum principium, et finem confitentur; inventi sunt tamen; qui omnem

(*) Id fuit apprime demonstratum in quibusdam epistolis *sur la distinction de Religion naturelle, et de Religion revelée, et sur les opinions théologiques.*

externum cultum, tanquam supervacaneum, immo Deo indignum exploderent, quorum errorem duplici ratione S. Thomas Lib. 3. *contra gentes* Cap. 119. confutat; I. quia mens humana per sensibilia quaedam signa facilius elevatur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur; II. quia exhibentes Deo non solum spiritualia, sed etiam corporalia obsequia eum fatemur nedum animae, sed etiam corporis auctorem. Fallitur autem nuperus scriptor pestilentis Libri *Les Moeurs*, contendens non alia de causa cultum externum esse invectum, quam ut homines in professione unius religionis consocientur.

§. VII.

Nullam irreverentiam irrogat Deo cultus externus.

Sed multo magis falluntur, qui externum cultum Deo indignum esse arbitrantur, tum quia significari videtur, Deum nostris rebus indigere (*), tum etiam quia Deum videmur quasi hominibus aequiparare, eadem ipsi, ac hominibus obsequii signa exhibentes. Verumtamen cum Deo dona nostra offerimus, eum omnium nostrorum bonorum auctorem, non autem eorum indigum profitemur. *Nobis prodest colere Deum, non ipsi Deo*, inquiebat S. Augustinus (quaest. 3. ad Paganos). Alia autem, et diversa ratione homines quosdam, superiores aut benefactores nostros, ac Deum ipsum supremum Dominum, a quo omne bonum nostrum descendit, honoramus.

CAPUT II.

Ostenditur religionem esse hominum societati admodum utilem.

§. VIII.

Religio utilis hominum societati.

Religionis hostes, ut in pluribus aliis, ita in hoc sibi ipsis vehementer repugnant. Aliqui enim religionem non a Deo datam, sed a Politicis invectam

(*) Mirum est, Thomasium hoc ipso argumento usum fuisse ad omnem cultus externi necessitatem tollendam, *jurisprud. divinae* Lib. 2. Cap. 1. §. 12. et virum alias acutum non vidisse, hoc argumento, si quid valeret, non externum solum, sed etiam internum cultum aboleri, cujus non magis indiget Deus, quam externi.

esse comminiscuntur, tamquam utilissimam ad continendos in officio homines; alii vero ab opposito eam tamquam inutilem, immo et perniciosam abolere conantur. Priorum commentum suo loco confutabitur; posteriorum autem absurditatem jam suo tempore confutaverat Lactantius Lib. 3. *divin. Institut.* cap. 28. inquiens: *Nihil est in vita, quo ratio, quo conditio nostra nititur, nisi Dei, qui nos generavit, agnitio, et religiosus, ac pius cultus.*

§. IX.

Ad vitia tollenda, et virtutes promovendas.

Et sane quid efficacius esse potest, ad mala impedienda, quae cujusvis societatis pestes sunt, et ad virtutes, quibus homines invicem colligantur, promovendas, quam amor, et timor Dei, quibus ad sanctissimas ejus leges societati maxime utiles observandas etiam illi permoventur, qui temporalia supplicia non timent, aut proemia non sperant? Qui certe inter homines non pauci sunt.

Scholion. Nonnisi de iis utilitatibus locuti sumus, quae in omnium oculos incurrunt, et quae ab ipsis Incredulis ignorari, aut negari non possunt. Ceterum aliae sunt longe majores, quas vera religio nobis in alia vita promittit, et de quibus dicebat Apostolus I. Corinth. II. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.*

§. X.

Solvitur objectio.

Nec vero est, cur reponant religionis hostes, hunc ipsum alterius vitae suppliciorum metum esse hominibus gravem et intolerabilem, eorumque felicitati, quae maxime curanda est, inimicum. Non inquam; iste enim timor est salutaris tum privatis hominibus, qui per illum pejora devitant, tum potissimum societati, quae a malorum infestationibus ope illius liberatur. Addo praecipuum religionis cardinem in amore consistere, quo nihil dulcius, et suavius esse potest.

§. XI.

Solvitur alia objectio.

Neque iterum obstat, etiam admissa religione adhuc innumera mala grassari, quae societatem homi-

num infelicem reddunt; nam primo qui a religione in officio non continentur, eam nonnisi verbis profitentur, factis autem negant. Deinde certum est, sin minus omnia, saltem quam plurima mala a religione impediri. Quot enim sunt homines, qui temporales poenas aut non timent, aut effugere se posse sperant; timent vero supplicia alterius vitae, quibus se obnoxios futuros certo credunt; et demum si hoc argumentum valeret, nec leges humanae utiles aut necessariae forent; et societas hominum exlegum formari deberet, quo nihil monstruosius.

CAPUT III.

Asseritur necessitas divinae revelationis ad veram puramque religionem cognoscendam.

§. XII.

Quid sit revelatio et unde ipsius necessitas?

Divina revelatio est *manifestatio a Deo palam facta quarundam veritatum, quibus proinde propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem firmissimam fidem praestare tenemur.* Porro cum veritates ad religionem pertinentes aliae sint ordinis *naturalis*, aliae ordinis *supernaturalis* (§. 4.), ostendemus divinam revelationem ad utrasque esse necessariam, quamquam ex diversa ratione: nempe ad primas necessaria est propter infirmitatem, quam usu rerum quotidiano experimur nostrae rationis; qua fit, ut *moraliter* saltem impossibile sit, omnia simul naturalia religionis praecepta *collective* et sine erroris periculo semota Dei revelatione cognoscere. Ad veritates autem ordinis *supernaturalis* revelatione opus habemus, propter insufficientiam legis naturalis in iis, quae Dei cultum, et veram hominis felicitatem spectant.

§. XIII.

Necessaria est ad omnia juris naturalis praecepta collective et sine errore cognoscenda.

Et quidem non posse solo rationis lumine omnia juris naturalis praecepta sine errore cognosci nos docet funesta veterum Philosophorum experientia; quamvis enim ii fuerint summo ingenio praediti, maximamque adhibuerint diligentiam in omnibus iis investigandis officiis, quae Deo, nobis, aliisque debe-

mus, in multos tamen gravissimosque errores prolapsi sunt. De multis praeterea inter se adeo acriter disputabant, ut homines incerti essent, cuinam sententiae adhaererent, etiam in rebus omnino necessariis; quod duplex incommodum sola revelatione tolli potest (*).

§. XIV.

Idem aliis argumentis ostenditur.

Accedit quod nonnisi paucissimi iis adjumentis praediti sunt, quibus possint solo rationis lumine haec naturae officia investigare, et invenire; maxima autem hominum multitudo deberet dictis paucorum sapientum, qui et falli, et fallere possunt, sine examine fidem adhibere. Ac demum adeo longa esset, ac difficilis haec investigationis via, ut quemadmodum scite observabat Lactantius *de falsa sapientia* cap. 14., necessarium foret *vel ipsos sapientes senectute confici, antequam constituerint, quomodo vivi deceat*. At vero revelatione Dei facile omnibus est omnia humanae vitae officia sine ulla erroris admixtione certo cognoscere. Sed de his dignus est, qui legatur S. Thomas Lib. I. *contra gentes* cap. 4. et 1. P. Quaest. 1. art. 1. ac demum 2. 2. quaest. 2. art. 4.

§. XV.

Praecluditur objectio ex Ethica veterum ac recentiorum Philosophorum.

Fucum autem imperitis faciunt, qui veterum Philosophorum, aut etiam recentiorum exempla proponunt, quos dicunt semota quacumque revelationis luce, ex solis humanae rationis principiis pura et sancta legis naturalis officia complexos fuisse, talemque nobis reliquisse philosophiam moralem, ut longe superet eam, quae a plerisque Casuistis postea conscripta fuit. Nam primo dissimulant gravissimos errorum scopulos, in quos illi ab obtenebrato rationis lumine infeliciter impulsi sunt. Deinde nimis confidenter sibi sumunt, veteres, novosque Philosophos omni prorsus revelationis luce fuisse destitutos. Veteres enim aliquot saltem primae revelationis vestigia habere potuerunt, quamquam hominum per-

(*) Errores Veterum Philosophorum late prosecuti sunt Lactantius Lib. 3. *Divin. Institut.* Eusebius Lib. 15. *Praeparat. Evangel.* et S. Augustinus in Libris *de Civitate Dei*. Ex recentioribus autem idem argumentum tractarunt Jac. Leland in sua *Nova Demonstrat. Evangel.* tom. 3. et omnes fere religionis nostrae Apologistae.

versitate obscurata, et ulterius ex commercio cum sapientibus Gentis Judaicae multa cognoscere ipsis facile erat. Hinc observatum etiam fuit, M. Aurelium, Epictetum, Plutarchum, aliosque, qui post Evangelium scripserunt, minus errasse, quam antiquiores, non alia de causa, nisi quia aliquot lucis evangelicae radii etiam ad illos pervenerant. Recentiores vero, quamquam a revelatione se praescindere dicant, ei tamen multarum rerum cognitionem debent, quas certe ignorassent, si solam habuissent rationem magistram. Et insuper quotiescunque rationem revelationi praeferre voluerunt, turpiter et ipsi lapsi sunt. Quod etiam de Casuistis dicendum est; ideo enim quidam eorum enormiter a veritate aberrarunt, quia deserta revelationis tutissima via incertos rationis tramites sequi maluerunt.

Praeclara observatio Lud. Vives.

Scholion. Ad hanc rem apposite juxta, ac eleganter celeberrimus vir Ludov. Vives Lib. I. *de veritate fidei* ita ajebat: *Apertis semel a Christo thesauris veritatis eae deinceps rationes ab iis, qui doctrinae illi caelesti paruerunt, sunt de pietate inventae tam liquidae, tam apertae, validae, efficaces, inexpugnabiles, ut miremur, non incurrisse illas in oculos eorum, qui inter gentes sapientiam profitebantur. Sed nimirum lex addita est rebus a Christo . . . adhibita autem rebus luce facile est, quid quaeque res, et cujusmodi sit dicere, et pro iis, quae dixeris, argumenta congerere. Parit autem rationem cognita veritas, et veritatem confirmat adhibita ratio.*

§. XVI.

Ostenditur necessitas revelationis ex insufficientia legis naturalis.

Haec de revelationis necessitate attenta rationis infirmitate ad cognoscenda simul omnia et sine errore naturalis legis officia; quae quidem revelationis necessitas nonnisi moralis est, vel ad summum, ut aliqui contendunt, physica. Nunc de insufficientia ipsius legis naturalis, unde multo major, et absoluta necessitas oritur revelationis quarundam veritatum, quae supra humanam rationem sunt positae, quod triplici argumento ostendemus.

§. XVII.

Primum argumentum ex interna hominis corruptione.

Primum argumentum suppeditat interna nostra corruptio, cujus intime conscii sumus; illius autem originem, causam, et remedia nonnisi superna revelatione cognoscere possumus. Quilibet enim probe sentit illam pugnam, quae partem inter superiorem et inferiorem animi nostri quasi perpetuo fit: ratio se dominam agnoscit, interea tamen a passionum impetu se abripi patitur; voluntas verum bonum, in quod naturali pondere fertur, relinquit, ut falsum, et apparens consectetur; unde illud Poetae: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Porro facile est intellectu, hominem ita corruptum non potuisse e manu creatoris Dei prodire; aliunde ergo quaerenda est hujus corruptionis et contrarietatis, quae in nobis est, origo, et causa, eamque nonnisi revelatio nos docet, media simul nobis suppeditans, quibus tanto malo medicinam afferamus.

§. XVIII.

Quae non potest esse naturalis.

Nihil autem potest esse minus verosimile, quam quod aliqui dicunt, hoc intestinum hominis bellum esse illi naturale, quomodo naturale est homini habere partes dissolutioni, corruptionique obnoxias. Nihil inquam minus verosimile dici potest; quod enim homo dissolutioni, corruptionique obnoxius sit, ex eo naturaliter consequitur, quod partibus diversis constet; anima autem ipsius, utpote simplex, partes sibi contrarias, et inter se pugnantes ex natura sua habere non potest: nec Deus infinite bonus, et sapiens eam ita condere potuit, ut bonum eodem tempore cuperet, et aversaretur, nisi fingatur eum ordinis simul auctorem esse, et deordinationis. Sane hanc internam animi nostri pugnam naturalem non esse animadverterunt vel ipsi ethnici Philosophi; unde Cicero (Lib. 3. *de republ.* apud S. Augustinum Lib. 4. *Cont. Jul.* cap. 12.) hominem dicebat *non ut a matre, sed ut a noverca natura in lucem editum.* Hoc ipsum innuebat Plinius in Praefat. Lib. 2. *Hist. nat.* cum dubitabat, *utrum natura parens melior homini, an tristior noverca fuerit.* Alii vero Philosophi, ut Pythagorei, et Platonici, nos *ob aliqua scelera suscepta in vita superiore poenarum*

luendarum causa natos esse dixerunt (apud S. Augustinum Lib. cit. cap. 13.). Alii duas in nobis esse animas sibi contrarias, bonam, et malam fabulati sunt, ut Manichaei. Alii alia non minus commentitia systemata excogitarunt, ut internae nostrae corruptionis aliquam probabilem causam redderent. Nempe ut observabat S. Augustinus: hi omnes naturae nostrae corruptionem viderunt, ejus autem causam ignorarunt, quam sola revelatio dogmatis peccati originalis nos docet (*).

Scholion. Recte observabat Paschalis in suis admirandis cogitationibus de religione (Pensèe 3.) nihil magis videri nostrae rationi repugnans, quam dogma peccati originalis; hominem tamen sine hoc mysterio esse sibi ipsi omnino incomprehensibilem; et magis esse sine hoc mysterio hominem incomprehensibilem, quam hoc mysterium incomprehensibile homini. Digna plane est haec Paschalis cogitatio, quae a nostris Naturalistis tota legatur.

§. XIX.

Aliud argumentum ex quotidianis nostris culpis.

Aliud et quidem efficacius argumentum pro necessitate divinae revelationis repetitur ex quotidianis illis peccatis, in quae sive naturae nostrae fragilitate, sive ignorantia culpabili, sive etiam diabolica malitia infeliciter prolabimur. Porro attenta infinita Dei bonitate credimus aliquod esse remedium, quo hujusmodi peccata deleri queant; quodnam vero illud sit, solo rationis lumine certo cognoscere non possumus. Quod enim aliqui dicunt, Deum placari interno animi nostri dolore, id quidem certum est ex divina revelatione, ea autem semota certum omnino esse non potest. Nulla enim necessitas Deum cogit, ut velit poenitentibus peccata condonare. Im-

(*) Hoc argumentum copiose tractat S. Thomas Lib. 4. *contra gentes* cap. 52. Contra Voltairium autem, qui illud parvi pendit, videri potest Liber, cui titulus: *Sentimens de M*** sur la critique des Pensèes de Paschal par Mr. Voltaire*, et alter Ro. Jos. Alexii Du Hamel inscriptus: *Lettres Flamandes, ou histoire des variations, et de la contradiction de la prètendue Religion naturelle*, Lettres 10. et 12.

mo si solam consulamus rationem, metuendum fortasse erit; ne sicut humanis legibus scelera puniuntur non obstante quacumque reorum poenitentia, ita etiam Deus nulla nostra poenitentia placetur. Hinc etiam Ethnici non interna solum poenitentia, sed externis etiam quibusdam sacrificiis ad Deum placandum opus esse existimarunt.

Scholion. Nihil frequentius in ore Naturalistarum, quam magnifica de Dei bonitate, ac misericordiae elogia. Est quidem *Dominus miserator; et misericors, longanimis, et multum misericors*. Ps. CII. Sed S. Augustinus ponderandum etiam dicebat, quod sequitur: *et verax*; ac merito addebat: *Gaudes ad verba superiora, ad ultimum treme*. Et certe contremiscere deberent Increduli, qui talem sibi divinae bonitatis ideam efformant, ut simul justitia ejus non appareat; cum tamen justitiae ipsius etiam in hoc mundo non levia vestigia videre possint in iis calamitatibus, quas perpetimur, etiamsi nostrorum criminum nos poeniteat. Observare etiam deberent, post extremum judicium nulla amplius poenitentia flecti Deum; unde magis fit manifestum, non esse necessariam connexionem inter poenitentiam, et veniam.

§. XX.

Tertio argumento evincitur necessitas revelationis ex cultu Deo debito.

Demum ut supra ostendimus §. 6. non interno solum, sed externo etiam cultu Deum venerari debemus: at vero solum rationis nostrae lumen certo determinare non potest, in quonam consistat externus ille cultus, qui Deo placeat, ejusque infinita majestate dignus sit. *Solus Deus*, inquiebat olim Tertullianus *de Orat*. Cap. 9. *docere potuit, ut se vellet orari*. Quod mirum videri non debet; si enim Principes et Reges statuere solent, quibusnam obsequii signis se velint a subditis honorari, quanto magis ad supremum omnium regum Dominum spectabit, nobis manifestare, quibus religionis actibus eum colere debeamus? Id vel in ipsis Ethnicae Philosophiae tenebris vidit Plato, qui in *Epinomide* dicebat, *neminem pietatem docere posse, nisi Deus, quasi dux et magister praeiverit*; et rursus in *Alcibiade II*. Socratem inducit ita praeclare hac de re

concludentem, *nihil tutius, atque consultius esse, quam quiescere et expectare, donec aliquis didicerit, quo animo et erga Deos, et erga proximos esse oporteat.*

§. XXI.

Refellitur Hobbesianum commentum de cultu Dei.

Hinc patet, quantum a vero aberrent, qui post Hobbesium non aliam in cultu Dei externo praescribendam esse legem putent, quam aut populi consuetudines, aut imperantium voluntatem; sequeretur enim ex hoc Hobbesiano praecepto, etiam probari posse illa absurda Veterum sacrificia, quibus humanae victimae non solum a barbaris nationibus, sed etiam a Graecis, Romanis, aliisque olim immolabantur; tum mysteria orphica, et eleusina, atque florales ludos, in quibus ut S. Augustinus loquitur epist. 91. (alias 202.) *non aves, non quadrupedes, non denique sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus* sacrificabatur (*). Origenes Lib. 5. *contra Celsum* cap. 27. pluribus argumentis hanc Hobbesii absurditatem multo antea confutaverat.

Scholion. Ex iis, quae in hoc capite dicta sunt, apparet, merito fuisse a sacra Facultate Parisiensi non ita pridem damnatam illam propositionem Abbatis de Prades n. 3. *Religio revelata nec est, nec esse potest alia a lege naturali magis evoluta*; cujus propositionis falsitas etiam magis patebit ex sequenti capite.

(*) Negant aliqui a populis cultioribus fuisse sacrificia humana adhibita; id tamen probatur certissimis historiae monumentis. De Graecis consuli potest Eusebius Lib. 4. *Praeparat. Evangel.* cap. 16., tum Diodorus Halicarnassaens, qui Lib. I. refert, fuisse aliquando ab Oraculo Atheniensibus imperatum, ut decimum quemque ex suis infantibus immolarent. Vid. etiam Virgilius Lib. 2. *Æneidum* ver. 116. De Romanis autem id traduut Strabo Lib. 5., Dionysius Halicarn. Lib. I. et Lactantius Lib. 2. *Divin. Instit.* cap. 10. Ex recentioribus plura in hac re collegerunt Jac. Gensins in suo opere *Victimae humanae*, et Petrus Petit de ανδροποφάγοις Capp. 10. et 11.

CAPUT IV.

Possibilis est revelatio quarundam veritatum, quae humanam quidem rationem superant, ei tamen non opponuntur, ut sunt mysteria.

§. XXII.

Revelatio mysteriorum non repugnat neque ex parte Dei, neque ex parte hominum.

Quamquam increduli omnem divinam revelationem anilibus fabulis accensent, peculiariter tamen contra eam debacchantur, quae mysteria proponit humanae rationis limites excedentia; qua quidem in re etiam pollicem ipsis premunt Sociniani omnia a Religione mysteria eliminantes. Contra utrosque tamen facile ostenditur nullam hujusmodi revelationis esse repugnantiam, neque considerata natura Dei, a quo fit, neque considerata natura hominum, quibus fit. Et quidem cum Dei natura, ejusque attributa infinite superent nostram intelligendi capacitatem, nihil obstabat, quo minus Deus pro libera sua voluntate aliqua nobis manifestaret, quantum ad eorum existentiam, non tamen quantum ad modum, quo reipsa existunt, cujusmodi sunt mysteria. Ex parte vero hominis id non repugnare vel ex eo solo liquet, quod innumera sunt in ordine mere naturali, de quorum existentia certi sumus, licet eorum essentiam, proprietates, et connexionem ignoremus. Immo id convenienter factum esse ostendit S. Thomas Lib. I. *contra gentes* cap. 5., ut nempe homo ad altiorem finem ordinatus, cognoscendo ea, quae supra ipsius rationem sunt posita, disceret etiam altiora desiderare, quae statum praesentis vitae excedunt.

Solvitur quaedam objectio.

Scholion. Hanc quorundam pervicaciam, qui divinae revelationi fidem praebere recusabant, multiplici argumentorum genere refutavit S. Augustinus in Opusculo, cujus est titulus *de Fide rerum, quae non videntur*, cujus hoc est initium: *Sunt qui putant Christianam Religionem propterea ridendam potius, quam tenendam, quia in ea non res, quae videntur, ostenduntur, sed fides rerum, quae non videntur, hominibus imperatur.* Contra eos autem multis exemplis ostendit, pleraque credi ab homini-

bus ex solis externis testimoniis, aut signis; ac postea concludit, multo potiore jure ea esse credenda, quae Deus vera esse testatur; etiamsi eorum veritas a nobis rationis lumine non videatur.

§. XXIII.

Haec revelatio mysteriorum divinae providentiae minime consentanea aliquibus videtur ex eo, quod religionis finis sit cultus Dei, cui quidem leges maxime prosunt, non autem mysteriorum cognitio. His tamen primo considerandum esset, religione totum hominem Deo obligari, cum autem homo et intellectu polleat, et voluntate, aequum erat, ut non solum voluntas Deo subderetur per observantiam legum, sed etiam intellectus captivaretur in obsequium fidei, credendo ea, quae Deus nobis revelare dignatus est. Addo, mysteriis religionis intimius consideratis, homines vehementer excitari ad internas animi virtutes, in quibus praecipuus Dei cultus consistit.

Scholion. Quis enim e. g. peccati originalis transfusionem credens, et propriam infirmitatem agnoscens, corde contrito, et humiliato ad Deum non confugiat, ejusque opem non imploret? Quis mysteriorum omnium sublimissimum divinae Incarnationis considerans, non maximo afficiatur amore erga nostrum Redemptorem, qui infinito sui sanguinis pretio nos a captivitate Daemonis liberavit? Quis etiam non erigatur in firmissimam suae salutis spem, ineffabilem et omnipotentissimam divinae gratiae virtutem, et efficaciam recogitans? Quis non salutari concutiatur timore ex inscrutabili divinae praedestinationis abysso, ex suppliciorum alterius vitae aeternitate etc?

§. XXIV.

Mysteria religionis rationi non opponuntur.

Neque etiam dicant, revelationem mysteriorum esse impossibilem, quia rationi a Deo nobis datae adversantur: hoc enim falsissimum esse ita probat S. Thomas I. *contra gentes* cap. 7.: solum falsum vero contrarium est; cum itaque tam ea, quae recta ratio docet, quam ea, quae Deo pro sua bonitate revelare nobis placuit, verissima sint, non possunt mysteria religionis a Deo revelata rectae rationi adversari. Ulterius, ut aliquid rationi vere, et proprie repugnare dicatur, necesse est duas con-

currere ideas claras, et distinctas sibi ipsis contrarias; id autem impossibile est, ubi de mysteriis agitur, quorum perspicuam, distinctamque ideam nemo habet, aut habere potest, cum sint supra rationem. Quamobrem qui mysteria rationi adversari clamant, perinde faciunt, ac si caecus impossibile reputaret in aliqua parva tabula repraesentari montes, maria, naves etc.; quia nimirum picturae, aut colorum claram distinctamque ideam non habet.

§ XXV.

Nec sunt sine sensu soni, neque fides nostra est sine ratione.

Nec propterea inde inferant adversarii mysteria esse voces sine sensu, aut fidem nostram esse sine ratione, non inquam. Etsi enim mysteria omnino cognoscere in hac vita datum non sit, ea tamen saltem ex parte cognoscimus, et ita quidem, ut quotiescumque illa haeretici corrumpere conati sunt, fideles contra eorum blasphemias vocem extulerint, easque Ecclesia condemnaverit, ut in Sabellio, Paulo Samosateno, Ario, aliisque haeresiarchis manifestum est. Et nihil ferme est etiam in naturali ordine, quod perfecte, et omni ex parte cognoscamus. Rationabile insuper est nostrae fidei obsequium in credendis mysteriis, quia licet intrinseca eorundem ratio nos lateat, evidenter tamen credibilia fiunt hoc ipso, quod ea a Deo revelata fuisse ostenditur. Quid enim magis rationi consentaneum, quam Deo credere, etiam quando ea revelat, ad quae nostra ratio pervenire ex seipsa non potest? *Ut aliquis*, inquit pius non minus quam doctus Contensonius in *Theol. mentis et cordis* Lib. 7. dissert. 2. cap. 1. specul. 2. *prudenter iis, quae fides proponit, credat, non sufficit motio, et pia affectio voluntatis fidei objectum gustans, et assensum intellectui praecipiens, sed requiritur insuper aliqua ex parte intellectus persuasio ex argumentorum credibilitatis efficacia orta: nam male credit, qui leviter credit, leviter autem credit, qui sine ratione momentis praebet assensum etc.*

§. XXVI.

Neque ex quo mysteria sunt supra rationem fit ut cum ratione pugnent.

Hic autem detegenda est illa Baelii cavillatio, qui mysteria rationi repugnare colligit ex hoc ipso, quod nobis fatentibus sint supra rationem: si enim, inquit ille, mysteria supra rationem sunt, rationi consentanea non sunt; quod autem rationi consentaneum non est, cum

ipsa pugnat, quemadmodum quod veritati consentaneum non est, veritati ipsi repugnat. Sed non vidit Baelius, non alio sensu dici, mysteria rationi consentanea non esse, nisi quia sunt ordinis diversi, et altioris; non vero quasi eidem opponantur; sicuti opponi veritati dicitur, quod ipsi consentaneum non est: neque ullum intercedit medium inter esse verum, vel falsum; sicuti est alquod medium inter esse consentaneum, vel oppositum rationi, nempe esse ordinis diversi. Rem hanc explicat Angelicus aptissimo exemplo hominis idiotae, cui si proponantur veritates quaedam philosophicae, rudi illius rationi consentaneae non erunt; maximae tamen ille esset amentiae, si eas falsas esse assereret, quia eas capere non potest; ita et multo magis etc.

CAPUT V.

De notis, quibus vera Dei revelatio ab impostorum fraudibus secerni potest.

§. XXVII.

Non cuique revelationem jactanti credendum, et notae, quibus vera a falsa secerni potest.

Ex eo potissimum Increduli omnem divinam revelationem tollere nituntur, ne impostorum fraudibus via aperiatur; reipsa enim pluribus legumlatoribus solemne fuit, coelestis revelationis praetextu incautos populos decipere; sed infinita Dei bonitas nobis eas notas, et characteres suppeditavit, quibus, si prudenter uti velimus, haud difficile nobis erit omnem errorem declinare. Tres praecipue sunt hujusmodi notae, una intrinseca, nempe doctrinae sanctitas, duae extrinsecae omnibusque facile perviae, scilicet miracula, et prophetiae, quibus quasi quibusdam sigillis Deus confirmare solet extraordinariam eorum missionem, per quos, tamquam per suos ministros nobis quasdam veritates manifestat.

§. XXVIII.

Sanctitas doctrinae prima revelationis nota.

Prima nota, qua mendacia impostorum statim deprehendere possumus, est falsitas, et absurditas doctrinae, quam Pseudopropheta invehere conatur. Ita Deus Deuter. XIII. a Seductoribus populum suum cautum reddidit. Et quidem tanta aliquando evidentia apparet doctrinae alicujus falsitas, ut haec sola nota sufficiat

ad eam rejiciendam, quemadmodum de polytheismo, et idololatria apertissime liquet: aliquando tamen non ita facile est, praesertim rudibus de doctrinae veritate aut falsitate judicium ferre; propterea evidentissimus Deus alias adjecit notas multo clariores, quae in oculos omnium ita incurrunt, ut inexcusabiles sint, qui errant.

§. XXIX.

Miracula altera divinae revelationis nota.

Inter eas autem primum locum tenent miracula; et propterea missionem Moysis in veteri lege, ac Messiae in nova multis, stupendisque miraculis confirmatam voluit, ut inferius ostendemus. Interea, quoniam haec nota maximi momenti est, aliquanto fusius de miraculis agendum nobis erit.

§. XXX.

Definitio miraculi.

Est autem miraculum, quod superat omnes vires totius naturae creatae, et fit aut contra, aut saltem praeter ordinem illius. Si enim aliquid tantum superet vires unius vel alterius causae, erit quidem res mira, sed non miraculum. Et si opus aliquod superet vires totius naturae, non tamen sit praeter illius ordinem, pariter miraculum non appellabitur; ut est animarum creatio, quae a solo Deo fit, nec tamen miraculum dicitur, quia non fit praeter ordinem naturae.

Scholion. Probari minime possunt nonnullae miraculi definitiones a recentioribus quibusdam traditae, ut illa Sam. Clarkii, qua miraculum dicitur *effectus consueto ordini naturae contrarius, productus a natura quadam intelligenti, quae potestate hominem superat.* Neque etiam probari potest, quod Houttevillius asseruit, scilicet miracula involvi tanquam effectus in systemate legum universalium; si nempe legum universalium nomine illae solae intelligantur, quibus una causa creata aliis subordinatur. Si enim in legum universalium numero etiam divina voluntas recenseatur, tunc certum est, miracula in tali systemate contineri, quo sensu etiam S. Augustinus Lib. XXI. *de civit. Dei*, cap. 8. negabat miracula fieri contra naturam, sumendo scilicet naturam rerum pro voluntate Dei, qui eam condidit.

§. XXXI.

Celebris et apud omnes Theologos recepta divisio miraculi est, quam tradit S. Thomas 1. P. quaest. 105. art. 8. scilicet I. *quantum ad substantiam*, quando nempe Deus aliquid facit, quod natura facere nullatenus potest, ut est solis statio, vel retrocessio. II. *quantum ad subjectum in quo fit*, quando nempe opus per se non excedit naturae vires, excedit tamen in eo subjecto, in quo fit: hujusmodi est suscitatio mortui, vel illuminatio caeci; etsi enim natura possit vitam, et visum producere, non potest tamen id in mortuo vel caeco praestare. III. *quantum ad modum, et ordinem faciendi*, ut cum subito, et sine medicinis sanatur infirmus, cui potuisset etiam naturaliter sanitas restitui, sed beneficio temporis, et remediorum. **Ejusdem divisio.**

§. XXXII.

Hinc alia exsurgit miraculi divisio in illud, quod est *supra naturam*, et quod est *contra naturam*. Primum est opus, ad quod vires naturae nullo modo se extendunt, sed tamen naturae non repugnat, ut fuit Incarnatio Divini Verbi. Alterum est opus contra consuetam naturae agendi vim, ut quando ignis Babylonicae fornacis pueros non laesit. **Alia divisio miraculi.**

§. XXXIII.

Ex his facile liquet, nonnisi a Deo miracula fieri posse; quia Deus solus totius naturae creatae vires, et ordinem praetergreditur; ac proinde miracula veram esse notam ad divinam revelationem ab impostorum fraudibus discernendam. Deus enim, qui summa veritas est, non potest miraculis aliquam falsitatem confirmare. Quod si a malis hominibus, vel haereticis, aut plane infidelibus miracula nonnunquam impetrata esse dicatur, id quidem contingere potuit ad veritatem aliquam confirmandam, nullatenus vero ad confirmationem erroris. Hinc patet, quid dicendum sit de miraculis, quae ab haereticis, vel ethnicis jactari solent, quamvis ut plurimum nonnisi subdolorum hominum fraudes, aut Daemonum praestigiae ea fuerint, aut plane conficta, et ab imperito vulgo inaniter credita; quod infra uberius ostendetur. **Solus Deus miracula facere potest, ac proinde miracula sunt vera divinae revelationis nota.**

§. XXXIV.

Vera miracula cognosci possunt.

Neque vero quisquam cum incredulis objiciat, non posse vera miracula certo cognosci, cum nos lateat, quousque vires naturae se extendant. Non inquam, etsi enim determinare nemo accurate possit ultimum, ut ita dicam, virium naturalium gradum, omnes tameu facile vident, non eo pervenire eas posse, ut mortuum vitae restituant, vel aquas maris dividant, et muri instar consolident, aut solis cursum sistant. Sic nemo certe definire audeat, quantum omnino ponderis homo robustus elevare possit; sed nemo etiam dubitabit, eum turrim, vel aliud immane corpus portare non posse.

§. XXXV.

Etiam vera miracula possunt distingui a falsis.

Instant tamen increduli difficile nonnunquam esse, praecipue rudi populo, vera Dei miracula a Magorum prodigiis secernere, qualia saepius facta fuisse Scriptura narrat, veris miraculis omnino similia; et si Deus voluisset miracula esse veritatis testimonia, permittere utique non debuisset falsis, et apparentibus prodigiis homines in errorem induci: cui difficultati respondetur, varios nobis a Dei providentia suppeditatos esse modos, ne decipiamur. Primo si aliquis doctrinam aperte falsam, et absurdam miraculis confirmare conetur, certo tenendum erit, ibi esse fraudem, et dolum; religio enim nihil absurdi continere potest, ut supra (§. 3.) ostendimus. Praeterea etiam vitam, moresque Thaumaturgi attendere debemus, raro enim contingit, Deum per homines malos operari miracula. III. Ex circumstantiis homo prudens poterit saepe opera Dei a fraudibus hominum, vel Daemonum distinguere. Demum bonitas Dei nunquam sinit mendacia signa fieri in confirmationem erroris, quin multo plura, majora, et clariora fiant miracula pro veritate. Sic Magi in Ægypto ita fuerunt a Moyse superati, ut digitum Dei cognoscere, et fateri debuerint: Prophetae Baal victi, et trucidati fuerunt ab Elia; Elymas magus confusus, et obcaecatus a S. Paulo, et innumera hujusmodi exempla occurrunt, quibus specialis Dei providentia apparet, ne homines falsis miraculis in errorem pertrahantur. Et haec quidem de miraculis, modo de prophetiis.

§. XXXVI.

Prophetiae altera nota divinae revelationis.

Aliam divinae revelationis notam constituunt prophetiae. Praetermissis autem variis hujus vocis explicationibus, prophetiae nomine a nobis intelligitur *cognitio et praedictio futurorum, quae naturali intelligentiae vi certo praevideri non possunt*. Hinc liquido apparet, spiritum propheticum nonnisi a Deo esse, qui solus futura libera, et contingentia certo praenoscere potest, quia ipse solus ea ab aeterno praedefinivit. Et rursus hinc sequitur, prophetiis maximam inesse vim, ut per eas de divina revelatione certi reddamur; unde illud apud Isaiam XLI. 23. *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos* (*).

Scholion. S. Augustinus hoc potissimum argumento utebatur in suo opusculo: *De fide rerum, quae non videntur*; et postquam varias attulit Prophetias, quibus Christi Ecclesia fuit in veteri Testamento evidenter praedicta, ita Adversarios alloquebatur cap. 4. *Si haec, quae videtis, et longe ante praedicta sunt, et tanta manifestatione complentur ..... o reliquiae infidelitatis, ut credatis, quae non videtis, iis erubescite, quae videtis.* Et certe pudenda temeritas est tam perspicuis divinae veritatis indiciis fidem denegare.

§. XXXVII.

Prophetia ab imaginatione oriri non potest.

Delirare autem videtur Spinoza, qui prophetias a vividiore quorumdam hominum imaginatione proficisci posse putavit; quomodo enim in sanae mentis hominem cadere potest, ut sibi persuadeat, vividioris imaginationis ope certo praevideri posse eventus quam longissime absentes, a libera hominum voluntate, et nonnunquam a solis imperscrutabilibus Dei decretis pendentes? Sed impius iste, et vanissimus philosophus Poe-

(*) Non solum increduli, sed etiam nonnulli, qui Religionem christianam profitebantur, prophetias excluserunt a notis, quibus divina revelatio comprobatur. Ita olim Theodorus Mopsuestenus hac etiam de causa in Concilio V. Oecumenico damnatus. Ita modo Sociniani quibus de more Hugo Grotius pollicem premit: sed his omnibus satis est opponere Christum et Apostolos, qui tam saepe ad prophetias incredulos Judaeos provocarunt.

tarum figmenta cum oraculis Prophetarum absurdissime confundebat.

§. XXXVIII.

Quomodo verae prophetiae a falsis secerni queant.

Illud tamen videtur aliquibus maxime difficile, modum scilicet assignare, quo verae prophetiae vel a conjectationibus hominum prudentum, vel ab impiorum fraudibus, vel a vetustis Idolorum vaticiniis secerni queant: innumeras enim hujusmodi praedictiones factas fuisse novimus, quas non raro confirmavit eventus; sed Deus, qui prophetias efficacissimum voluit esse medium, ut eos certe cognosceremus, qui in nomine ejus loquuntur, etiam regulas suppeditavit, ne in re tanti momenti inviti erraremus. Et primo prophetiae facile distinguuntur a conjectationibus hominum, quando ea praedicantur, quae plane impossibilia attentis humanis conjecturis videri poterant, vel quae a sola Dei omnipotentia dependent. II. etiam doctrina et vitae sanctimonia aliquod criterium distinguendi inter veras falsasque prophetias suppeditare possunt, ut supra §. 35. de miraculis dictum est. III. non unum, aut alterum vaticinium considerare oportebit, sed omnia: si enim vel unum falsum reperiatur, tunc etiam cetera in suspicionem merito venient: atque his aliisque regulis jactata Ethnicorum oracula falsa fuisse inferius evincemus. Sed dignus est, qui hac de re legatur Eusebius Lib. V. *Praeparat. Evangel.*

§. XXXIX.

Objectio ex obscuritate, et falsitate quarumdam prophetiarum.

Inquiunt tamen aliqui, etiam illas prophetias, quas nos divinas dicimus, esse ut plurimum obscuras, et aenigmaticas: nonnunquam etiam eventu caruisse, ut cum Isaias praedixit mortem regi Ezechiae, quae tamen secuta non est (Isaiae 38.), et cum Jonas praedixit subversionem Ninive.

§. XL.

Solvitur prima pars objectionis.

Verumtamen quantum ad primum, etsi concedamus quasdam esse prophetias valde obscuras, negare tamen non poterunt adversarii alias esse omnino claras, et apertas, adeo ut Celsus, Porphyrius, aliique Christianae religionis hostes nostris exprobraverint eas post rerum eventus fuisse fabricatas, nec tam prophetias esse, quam historias; cui objectioni nullus certe locus fuis-

set, si omnes prophetiae obscurae essent, vel ambiguae. Jam vero istis tantum utemur, cum revelationis existentiam ex prophetiis demonstrare aggrediemur. Ex istis autem poterit quilibet non omnino pertinax etiam veritatem aliarum colligere, quae obscurae sunt.

§. XLI.

Solvitur altera pars.

Falsitatis autem nemo prophetias convincet, quae in sacris Litteris inveniuntur. Quod ut bene intelligatur sciendum est, quaedam fuisse a Deo Prophetis manifestata, prout in divina praedestinatione continebantur, et haec nunquam caruerunt eventu: quaedam prout erant futura ex dispositione causarum secundarum, ut mors Ezechiae, quae ex vi morbi certo secuta fuisset, nisi Deus hunc causarum cursum immutasset; et hoc sensu vera fuit prophetia Isaiae de morte Regis Ezechiae; non tamen Prophetam latebat Dei misericordia, qua statuerat poenitenti Regi vitam protrahere. Demum quaedam praedicuntur non absolute, sed sub conditione, ut subversio Ninive, nisi populum suorum criminum poenituisset.

§. XLII.

Quomodo Prophetis constare possit de Dei inspiratione.

Sed quomodo, sciscitantur Increduli, Prophetae ipsi certi esse possunt, aliquid sibi a Deo esse revelatum, et non potius a phantasia, vel a maligno spiritu sibi illusionem fieri? Respond. certe caute hac in parte procedi oportere, nec omni spiritui credendum. Quando tamen agitur de illis prophetiis Moysis, aut Christi, quibus tanquam summae veritatis sigillis supernae revelationis existentia demonstrari solet, non video, quomodo de divina earum origine dubitari merito possit, cum eorum vita fuerit sanctissima, doctrina caelestis, et spiritus propheticus, multis magnisque signis confirmatus.

§. XLIII.

Alia divinae revelationis nota a vitae probitate, aliisque circumstantiis, quibus viri pii ab impostoribus secernuntur.

Hinc alia exsurgit certa nota, ut divinam revelationem ab hominum imposturis secernamus; si nempe praeter caetera etiam habeatur summa, et inculpabilis illius probitas, cui revelatio caelestis facta dicitur; si nullius mendacii, aut fraudis convictus fuerit; si nullam habeat mentiendi causam; ac denique, si pro veritate revelationis defendenda, quidvis durum, ac mor-

tem ipsam perferre paratus sit: quo loco etiam apparet, quam vere ab Apostolo dictum sit, I. ad Timoth. IV. 8. *Pietas ad omnia utilis est.* Jam vero istis notis veritatem divinae revelationis tam in veteri, quam in novo Testamento demonstrare aggredimur: prius tamen de falsa, quam tum Ethnici, tum Mahumetani jactare solent revelatione, pauca praemittenda sunt.

CAPUT VI.

Ostenditur notas divinae revelationis Idololatrarum superstitioni minime convenire.

§. XLIV.

De Idololatriae origine.

De origine idololatriae non una est eruditorum opinio (de qua videri possunt Eusebius in *Demonstr. Evangel.* Vossius, et alii bene multi); sed absurdissime tamen nuperus auctor David Humius Anglus contendit, idololatriam tempore praecessisse veram unius Dei religionem, quia illi verosimile non est, primos populos rudes, et incultos plus sapuisse, quam posteriores, quorum ratio exuta feritate semper magis, ac magis expolita fuit; quomodo non est verisimile commodas domus, et magnifica aedificia fuisse inventa ante mapalia, et tuguria. Sed haec aliaque acuti hominis sophismata illico corruunt, quando consideramus, homines non e terra fungorum instar prodiisse, sed a Deo creatos esse, coelestique revelatione religionem Deo debitam ab eo edoctos. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ (*). Nunc ad rem nostram.

§. XLV.

Illi deest veritas, prima divinae revelationis nota.

Doctrinae veritatem deesse idololatriae, res est per se manifesta, cum in illa plures admitterentur Dii, quorum aliquibus etiam insignia tribuebantur crimina, odia,

(*) Si quis plura desiderat pro hujus paradoxi confutatione, adeat *Examen de l' Hist. natur. de la Religion*, quod Humii opusculo adnexum fuit edit. Amstel. 1759. et Jo. Leland *Nouv. demonstration evangel.* Tom. I. P. I. Ch. 2. Pluquet in serm. praelimin. *au Diction. des Heresies* Ch. 1. D. Deforis *Preservat. pour les fideles* etc. Ch. 7. et Bergier *examen du materialisme* Tom. 2. P. 2. ch. 1.

adulteria, fornicationes, furta etc. iisque plerumque absurdissima immolarentur sacrificia. Et quamquam inficias non ibo, a quibusdam sapientioribus non nisi unum supremum Numen fuisse agnitum, constat tamen I. eos, ut populi morem sequerentur, palam adorasse, quod in corde reprehendebant, et contemnebant; II. in eo etiam turpiter peccasse, quod vero Deo debitum cultum non adhibebant.

§. XLVI.

Desunt miracula, et vaticinia.

Non ita fortasse prima fronte videri potest res manifesta de aliis duabus verae revelationis notis, miraculis scilicet, et vaticiniis, cum innumera fere jactentur a falsis Numinibus patrata miracula, atque edita vaticinia. Si tamen res penitius consideretur, facile apparebit, eorum miraculorum fidem semper fuisse vel apud ipsos Ethnicos suspectam. Audiantur, quae habet Titus Livius Lib. 24. cap. 10. *Prodigia eo anno multa nunciata sunt, quae, quo magis credebant simplices, et religiosi homines, eo plura nunciabantur*; et similia saepius repetit. Etiam Valerius Maximus lib. I. cap. 8. de miraculis a se relatis addit, in ancipiti opinione eorum aestimationem versari. Cicero in lib. 2. *de divinat.* cap. 38. ita miracula suo tempore jactata refutat. *Omitte lituum Romuli, quem in maximo incendio neges potuisse comburi: contemne cotem Attii Navii: Nihil debet esse in Philosophia commentitiis fabellis loci.* Jactata igitur Ethnicorum prodigia aut erant Daemonum opera, aut plerumque hominum fraudes, aut Poetarum fabulae. Ex inferius dicendis facile apparebit, ea non posse cum miraculis in religione vera patratis conferri (*).

(*) Consuli potest Dissertatio Frereti de veteribus prodigiis Tom. VI. *des memoires de l' Academie des inscriptions, et des belles lettres.* Caeterum contra idololatriam jam feliciter pugharunt primi nostrae religionis Apologistae, atque imprimis Arnobius in libris *Contra Gentes*, Tertullianus in *Apologetico*, Origenes *contra Celsum*, Clemens Alexandr. in libris *Stromatum* et *Admonitione ad gentes*, S. Augustinus in libris *de civitate Dei*, ac Lactantius *de falsa religione.* Ex recentioribus longam eorum qui de hac re scripserunt seriem texit Jo. Alb. Fabricius in *Catalogo scriptorum* etc. cap. 21.

§. XLVII.

Idem fere dicendum est de veteribus Idolorum oraculis, quae sin minus omnia, ut Antonius Van-Dale putavit, saltem pleraque merae fuerunt Sacrificulorum fraudes, ut ostendit Caelius Calcagninus in libro *de oraculis*. Praeterea erant saepius flexiloqua, ambigua, et aequivoca, ut *interpres egeret interprete, et sors ipsa ad sortem referenda esset*, quemadmodum observat Cicero lib. 2. *de divinat.* Demum nil prohibet, potuisse a Daemone aliqua praedici, sive a se naturali conjectura praevisa, sive casu fortuito vera. Immane discrimen veterum oraculorum a nostris vaticiniis illico deprehendetur ex iis, quae dicemus paulo post.

Scholion. Non tam mirandum, quam dolendum, tot homines et iogenio praestantissimos, et moribus non omnino corruptos, cujusmodi plures certe fuerunt inter veteres Philosophos, inter Graecos, ac Romanos, impia Paganorum superstitione fuisse abreptos, quae tamen vel ipsi rationi repugnat. Sed adoranda est altitudo Sapientiae divinae, et confitendum sola gratia divina per Jesum Christum homines a massa perditionis liberari. Deus cujus *vult miseretur, et quem vult, indurat*, Rom. IX. 18.

CAPUT VII.

Neque Alcorano Mahumeti divinae revelationis notae conveniunt.

§. XLVIII.

Quid si Alcoranus.

Mahumetum usque ad XL. circiter aetatis suae annum idola coluisse multis argumentis probat Lud. Marraccius in ipsius vita cap. 8. cui nuntium remittens post initium seculi VII. vulgare coepit suum Alcoranum, quo complexus est omnes illas revelationes, quas spatio viginti trium annorum a Deo se habuisse impostor ille jactabat; unde Alcoranus Mahumetanis idem est, quod Hebraeis תמקרא aut τα βιβλια Graecis, et Scriptura sacra Latinis. Communis fere eruditorum opinio est, non Mahumetum, sed Sergium quemdam Monachum Alcorani auctorem fuisse, cui addunt etiam

aliquem Judaeum, sive ille Pairhas fuerit, sive Abdallach filius Salam. Illud certum est, Alcoranum esse colluviem fabularum Thalmudicarum, et apocrypharum traditionum, quae apud quosdam Christianos tunc obtinebant; et praeterea nonnulla in eo esse ex Ismaelitica superstitione deprompta. Aliqui etiam dixerunt, Alcoranum nonnisi post Mahumeti mortem a Bubacro fuisse compositum ex revelationibus, quas viginti trium annorum spatio Mahumetus conscripserat.

§. XLIX.

In Alcorano non continetur doctrina sancta.

Alcoranum non esse a Deo revelatum primo manifestum fit ex impietate doctrinae, quae ibidem traditur: ut enim ea praeteream, quae de praepostero uxorum usu, et de aliis obscaenitatibus, naturali hominum pudori repugnantibus, Mahumeto exprobrarunt laudatus Marraccius, et alii, tum etiam plurima inutilia, ludicra ac Deo indigna; ut inquam haec omnia praeteream, falsitas illius doctrinae apparet primo in hoc, quod Mahumetus persaepe, et vehementer suos asseclas excitet ad bellum pro religione, fingens a Deo sibi praeceptum, tamdiu pugnandum esse, *donec aboleatur falsa religio, et sit religio tota Dei.* Ita Sura VIII. v. 3. post autem sibi haud constans, vult a bello cessandum, si hostes parati sint ad tributum solvendum, quamvis nolint ipsius religionem amplecti, ita in Sura IX. v. 3o. ubi veram bellandi causam non religionis zelum, sed ambitionem, et avaritiam esse ostendit; quod certe a Deo non est. II. nihil magis legi divinae, naturali rationi, atque hominum societati contrarium, quam privata vindicta: eam tamen Mahumetus nedum permittit, sed etiam a Deo remunerandam esse pollicetur Sura XLII. v. 14. et sequ. et privatae crudelissimae ultionis non pauca exempla ipse Pseudo-propheta exhibuit. Demum, quid magis Deo indignum illis Thalmudicis fabulis, quibus Alcoranus a capite ad calcem redundat; de Paradiso, quem in corporalibus deliciis reponit, de mundorum incredibili numero et magnitudine, de colloquio Dei cum Angelis in creatione Adam, de superbia Eblis, seu diaboli, qui renuit adorare Adam, aliisque id genus? Si quae autem in Alcorano sunt vera et bona, haec partim ex novo Testamento corrasa fuere, ubi etiam et meliori forma exposita et a commentitiis fabulis immunia inveniuntur.

§. L.

Mahumetus suam missionem miraculis non confirmavit.

Caret etiam Alcoranus altera divinae revelationis nota in miraculis sita; saepius enim a Meccanis, Judaeis, aliisque provocatus Mahumetus, ut extraordinariam suam a Deo missionem aliquo signo confirmaret, variis subterfugiis eos eludebat, frigide nempe respondens, miraculis Prophetarum non semper fuisse fidem adhibitam, ita Sura III. et VI.; vel se non fuisse missum ad miracula patranda, sed tantummodo ad praedicandum; aut miracula ad Deum spectare; aut ea infidelibus non prodesse; aut demum fidem non a miraculis, sed a Dei voluntate pendere. Interim tamen confitebatur, ea a Moyse, et a Christo fuisse patrata. Ita pluribus in locis.

§. LI.

Quae Moslemi jactant Mahumeti miracula vera non sunt.

Hinc patet, commentitias prorsus esse illas miraculorum myriades, quas fabulatores Moslemi venditant, inter quae stupendissimum illud recensetur de lunae scissione in duas partes, quod Sura LIII. narratur. Verum Lud. Marraccius ex vetustissimis Alcorani interpretibus illud explicat, non tamquam historice, sed prophetice dictum, scilicet de signo extremae diei judicii: et ita quoque explicantur illa Alcorani loca, quibus *signa* Mahumeti insinuari videntur; ut videlicet per *signa* intelligantur *versiculi*, non vero miracula. Et praeterea nonnulla sunt, quae arte fieri poterant, ut illud columbae in ejus aure loquentis; quaedam, quae clam patrata dicuntur, vel coram testibus paucis et suspectae fidei; ut illud Cameli, qui noctu Mahumetum allocutus dicitur. Miracula Moysis, et J. C. palam facta fuere, ut nullum de iis esse possit dubium.

§. LII.

Nec veris vaticiniis Mahumetus suam missionem probavit.

Multa quidem jactant Moslemi Vaticinia in Alcorano contenta, quae tamen non evincunt divinam ejus inspirationem. Pleraque enim respiciunt victorias a Mahumetanis contra Infideles, Judaeos, ac etiam Christianos reportandas. At vero solemne semper fuit cuilibet impostori suis asseclis fausta praedicere, quae etiam nonnunquam casu evenere. Haec tamen Mahumeti vaticinia non semper impleta fuisse constat ex multis, magnisque cladibus, quibus et ipsi affecti fuere.

Sed praestat unum Vaticinium ad examen vocare, quod legitur Sura XLVIII. v. 32. ubi praedicitur, Mahumetanos futuros *terribiles contra Infideles, misericordes autem inter se*; hujus autem vaticinii esto prima pars vera fuerit, secunda certe non fuit; ut patet legenti vetusta Moslemorum bella, quibus inter se immaniter, ac crudelissime decertarunt; et vix Mahumeto defuncto odia, et praelia ferocissima inter ejus duces excitata fuere. Sic etiam Sura V. v. 37. promittitur Mahumeto *servandum illum esse immunem ab hominibus*; at vero scimus in praelio Ohodensi ejus faciem fuisse discissam, nonnullos dentes excussos, atque ictu lapidis graviter laesum in incurvatura brachii, ac tandem notum est eum periisse veneno a foemina Judaea in armo ovis ipsi propinato anno aetatis suae 63.

§. LIII.

Propagatio Alcorani non est ejus divinitatis nota.

Vaticinium, quod Mahumetani potissimum jactant, et quod aliquam difficultatem injicere videtur, est Eslamiticae sectae latissima propagatio, praedicta Sura CX. v. 1.; praecipue cum ex simili doctrinae Christi propagatione nos infra ejus divinitatem probaturi simus. Verumtamen immane inter utriusque doctrinae propagationem discrimen apparet: I. quod Alcoranus vi, et armis propagatus fuit, Evangelium vero praedicatione rudium, et inermium Apostolorum. II. quod Alcoranus sensibus, et voluptatibus indulgeat, Evangelium autem iis e diametro opponatur. III. Mahumetani nullis persecutionibus obnoxii erant, nostri crudelissima Martyria sustinere debuerunt. Demum Christus ubique terrarum suos cultores habet, Alcoranus aliquibus regionibus quanquam admodum amplis terminatur (*).

Scholion. Illud etiam Mahumeto merito exprobatur, quod suis asseclis omne studium litterarum prohibuerit; cum tamen in lege Evangelica nihil magis com-

(*) Valde multi Alcoranum confutandi sibi provinciam assumpserunt, praecipue autem commendandi sunt Lud. Marraccius Congregat. Matris Dei, qui novam Alcorani versionem, et confutationem edidit Patavii 1698. in fol. Card. de Turrecremata, Nat. Alexander dissert. VI. in sec. VII., et Hugo Grotius Lib. VI. *de veritate Religionis*.

mendatum sit, quam scientia, quae cum caritate aedificat; imo terribilis est illa Dei comminatio: *Quia repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Oseae IV. 6.

§. LIV.

Antequam Mahumetum dimittamus, observandum est, ab eo fuisse agnitam divinam revelationem tam veteris, quam novi Testamenti. Id fatetur Mahumetus Sura LVII. et alibi, quod nos invictis argumentis demonstrare aggredimur.

CAPUT VIII.

Ex recitatis superius Divinae revelationis notis ostenditur eam existere in veteri Testamento.

§. LV.

Quamquam Divina, et supernaturalis revelatio nobis absolute, et omnino necessaria sit (§. 16.), non tamen sequitur ex hoc solo, eam etiam esse factam; quemadmodum enim Deus pluribus et populosis nationibus illam diu denegavit, imo et adhuc nonnullis, quibus Evangelium nondum praedicatum est, juste denegat, ita ex justitiae suae rigore eandem potuisset toti generi humano culpa originali infecto nunquam concedere. Existentia igitur revelationis purum factum est a solo Divinae misericordiae beneplacito dependens, quod propterea non aliis argumentis demonstrari potest, quam moralibus; quae tamen argumenta aliquando tantam certitudinem inducunt, ut nulla major desiderari queat: quae enim propositio geometrica certior erit, quam fuisse ex. gr. Jerusalem a Romanis captam, direptam, atque incensam? de quo tamen facto, ut de aliis similibus nonnisi moralis certitudo haberi potest. (*)

(*) Videri hac de re potest brevis quaedam dissertatio posita ad calcem Libri Paschalis *des Pensées sur la Religion*, cui titulus est: *Qu' il y a des demonstrations d' une autre espece, et aussi certaine, que celles de la Geometrie.* Multa etiam praeclare congessit P. Thomas Maria Cerboni *Theologiae revelatae* tom. 1. Lib. 2. et Daniel Huetius in Praefat. suae *Demonstr. Evangel.*

§. LVI.

Quoniam vero de singulis V. T. Libris dicere nimis longum esset; ad solum Pentateuchum nos contrahemus, in quo antiqua lex, totaque Judaeorum religio revelata continetur. Jam vero, quae in iis Libris de divina lege, ritibus, caeremoniis, aliisque sive ad cultum Dei, sive ad officia erga homines spectantibus Moyses scripta reliquit, ex divina eum hausisse revelatione ostendemus primo ex sanctitate doctrinae; deinde ex miraculis, ac prophetiis.

Existentia divinae revelationis in Pentateucho.

§. LVII.

Et primam quidem divinae revelationis notam, scilicet sanctitatem Mosaicae doctrinae convenire, longe apertissimum est vel ex solis duobus primariis ejusdem praeceptis, a quibus teste Christo Domino universa lex pendet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum sicut teipsum.* Ad hunc duplicem scopum omnia collimant, quae Moyses ut Dei Legatus Israelitis praecepta dedit. Et quantum ad primum nihil frequentius in sacris ejus libris occurrit, quam unum esse Deum, qui cuncta creavit, conservat, et moderatur, solum eum proinde esse colendum, variique modi praescribuntur, quibus rite, pure, et sancte eum coli oportet; et quorum aliqui beneficia a Deo collata rememorabant; alii ad populum a cultu idolorum avertendum, potissimi vero ad praefigurandum Messiam venturum ordinabantur. Dignus est, qui de hac re legatur S. Thomas 1. 2. quaest. 102. art. 1. et sequ.

De sanctitate doctrinae Mosaicae.

Scholion. In praeceptis caeremonialibus praeter sensum litteralem, quo significabatur modus colendi Deum temporibus illis accommodatus, semper attendendus est sensus alius, quo ordinabantur ad praefigurandum Christum, qui totius legis finis erat, Rom. X. 4., ex cujus etiam fide, et gratia eorundem observatio proderat; unde Apostolus Galat. II. 16. inquiebat: *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.*

§. LVIII.

Quantum vero ad mutuum amorem, qui totius civilis societatis basis est, et fundamentum, non contentus Moyses generali praecepto, varia hominum officia explanat, quae primo superiores respiciunt, deinde ae-

Officia erga proximum.

quales, et concives, postea alienigenas, et peregrinos, ac demum ipsos inimicos. Superioribus reverentiam et obedientiam esse praestandam praecipit iis verbis Levit. XIX. 3. *Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat*; nomine autem patris omnes superiores intelligi manifestum est. Vicissim autem superioribus, et Magistratibus justitia, quam maxime commendatur: *juste judica proximo tuo*. Innumera vero sunt, quae Moyses nomine Dei praecepta dedit ad civilem societatem erga aequales servandam, ut *non furtum facietis, non mentiemini, nec decipiat unusquisque proximum suum..... Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum: non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane; non maledices surdo, nec coram caeco pones offendiculum.... Non eris criminator, nec susurro in popula*. Deuter. XXIII. 17. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel*, etc. De officiis, quae advenis et peregrinis praestari oportet, multa traduntur Exodi XXII. et alibi; quemadmodum et de iis, quae spectant pupillos, servos, et ancillas. Tanta vero erat erga pauperes misericordia, ut teste Juliano apostata in epist. ad Arsacium, nullus esset apud Judaeos mendicus. Demum inimicis parcendum his verbis praecipitur Levit. XIX. 18. *Non quaeras ultionem, nec memor eris injuriae civium tuorum.*

§. LIX.

Quantum Ethica Mosaica praestet Ethicae Gentilium.

Jam vero legem adeo puram, et sanctam nonnisi Deo auctore, et inspirante condi potuisse eo luculentius apparebit, quod si vel breviter leges alias ab hominibus latas percurramus, eas gravissimis, absurdissimisque erroribus scatere videamus. Nam praeter Polytheismum, et superstitionem, quae ubique regnabat, praeter nefanda sacrificia etiam humana, quae a cultioribus quoque gentibus Daemonibus immolabantur, notum est crudelissimam filiorum expositionem a Platone, Aristotele, aliisque summis viris probatam apud plerasque nationes obtinuisse; furtum, mendacium, perjurium, suicidium, vindictam, fornicationem, aliaque hujusmodi vitia, humanae societatis pestes, fuisse a legumlatoribus fere omnibus permissa. Ac demum nemo eorum eo usque pervenit, ut non solum scelera opere externo patrata, sed etiam internum eorum desiderium

cohiberet, ut fecit Moyses Exodi XX. 17. unde apposite gentiles alloquens Minutius Felix in *Octavio* Cap. 35. inquiebat: *Vos scelera admissa punitis, apud nos et cogitare peccatum est.*

§. LX.

Solvitur objectio nullam esse in lege Moysis futurae vitae mentionem.

Hoc potissimum contra divinam legis Mosaicae inspirationem objici solet, quod in toto Pentateucho nulla fiat aeternae retributionis, alteriusque vitae mentio; quod certe praetermissum non fuisset a Deo. Certum est tamen aeternae retributionis mentionem sin minus expressam, saltem implicitam in lege Mosaica contineri; quatenus retributiones illae temporales praefigurabant spirituales, et aeternas, quae neminem latere poterant; si enim haec veritas etiam apud plerasque nationes gentilium traditione propagata fuit, multo magis debuit Hebraeis esse perspecta. Hinc S. Paulus de veteribus Patriarchis loquens, dicit eos meliorem patriam, id est caelestem appetivisse, Hebr. XI. De hoc argumento, quod plurimorum ingenia exercuit, plura dabunt August. Calmet in Dissert. *de natura animae et post ejus mortem statu*, *ex sententia veterum Hebraeorum*, ac duo eruditi Dominicani Vinc. Patuzzi *de futuro impiorum statu*, et Castus Innocens Ansaldi in comment. *de futuro saeculo ab Hebraeis ante captivitatem cognito*. Addi etiam potest cum S. Augustino, non fuisse in veteri lege claram, et expressam mentionem aeternae retributionis factam, ut inde appareret legem illam ex se, et natura sua gratiam non continere ad salutem necessariam, sed hanc gratiam sola fide in venturum Messiam fuisse collatam.

§. LXI.

Alia objectio ex ciborum delectu.

Sed et illa animalium distinctio, quorum aliqua ut munda comedi poterant, alia ut immunda a mensis arcebantur, Levit. XI. ridicula, et Deo prorsus indigna visa fuit non solum Plutarcho homini Ethnico, sed etiam Tertulliano Lib. V. *adv. Marcionem* Cap. 5., Origeni Hom. VII. in Levit. aliisque veteribus; multoque magis ab hujus aevi incredulis contemnitur. Verumtamen praetermissa eorum opinione, qui id factum esset putant, ut populus relictis noxiis, vel minus salubribus cibis, assuesceret sanioribus, multo gravior et probabilior est eorum responsio, qui id sapienti Dei

Solvitur.

oeconomiae tribuunt, ut ita populus Israeliticus a mensis gentilium arceretur, in quibus major violandi legem sibi datam occasio praeberi poterat. Nonnullorum autem Patrum dicta contra hujusmodi delectum ciborum oratorio modo prolata videntur propter eos, qui Judaicis ritibus nimis addicti erant. Ceterum Tertullianus eo ipso in loco contra Marcionem in hac ciborum prohibitione, intelligi vult *consilium exercendae continentiae, et frenos impositos gulae, et ut facilius homo ad jejunandum Deo formaretur, paucis et non gloriosis escis assuefactus, et nihil de lautioribus esuriturus.*

§. LXII.

Lex Mosaica humana sacrificia non praecipiebat.

Sed et alia gravior calumnia repellenda est, quam legi Mosaicae nonnulli affingunt, eam scilicet humana sacrificia praecepisse. Id autem colligere se posse putant ex iis verbis Levit. XXVII. 28. *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal* etc. nomine enim consecrationis intelligi volunt sacrificium, quia in versu sequ. dicitur; *omnis consecratio.... morte morietur.* Verumtamen ex ipso contextu liquet nomen mortis hic sumi non solum proprie, sed etiam sensu latiore, ut significetur rem Deo consecratam in profanos usus verti non posse. Ibi enim dicitur: *Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager* etc. porro sicut consecratio agri nonnisi perpetuam ejus addictionem cultui divino designat, ita etiam consecratio hominis nihil erat aliud, quam perpetua ejus destinatio eidem cultui, ut proinde quasi mundo mori videretur, quod exemplo Samuelis manifestum fit. Ceterum humanas victimas fuisse Hebraeis Mosaica lege vetitas haud obscure colligitur ex Deuter. Cap. XII. 29. et sequ.

§. LXIII.

Nec valet exemplum Jephte, aut Agag.

Neque vero est, cur exemplum Jephte objiciatur, qui propriam filiam Deo immolasse innuitur Jud. XI. nam primo certum non est, a Jephte fuisse filiam occisione Deo immolatam; multi enim graves interpretes censent, eam tantummodo a nuptiis prohibitam, et Dei servitio fuisse dicatam; sed si re ipsa Jephte filiam in holocaustum Deo obtulit, ut alii multi praesertim veteres arbitrati sunt, ejus factum ut temerarium con-

damnari meretur. Multo minus adversariis suffragatur occisio Agag regis Amalecitarum I. Regum XV. satis enim constat occisionem Agag non fuisse sacrificium, sed justam ejus scelerum ultionem (*).

§. LXIV.

Secunda nota divinae revelationis factae Moysi ex miraculis.

Moyses saepius testatus est, se a Deo missum, eamque religionem, quam populo Israelitico commendabat, esse ab eodem divino Numine revelatam, atque in hujus veritatis confirmationem multa, magna, minimeque dubia miracula patrata leguntur. Moysi enim dicenti Exodi IV. *Non credent mihi, neque audient vocem meam*, ita respondit Deus: *si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis* etc. Promissionem autem divinam fuisse effectu completam, liquet ex notissimis illis prodigiis, quibus Deus tam in Ægypto, quam in deserto Moysis missionem confirmavit. De hujusmodi autem prodigiorum veritate nemo prudens dubitaverit, qui observet, ea non clam, aut in angulo, vel coram paucis patrata fuisse, sed palam coram ingenti hominum multitudine; eorumque memoriam non solum traditione, et scriptis, verum etiam perpetuis solemnitatibus perennatam.

§. LXV.

Non potuerunt illa miracula esse a Moyse conficta consentiente populo.

Sine ullo autem fundamento suspicantur quidam haec potuisse a Moyse confingi, toto Israelitico populo in fraudem conspirante. Etenim primo miraculum plane videretur longe maximum, in tanta hominum multitudine neminem unum inventum fuisse, qui aut naturali garrulitate, aut veritatis amore, aut odio Moysis, vel aliqua passione secretum non prodiderit. II. Si pro amplificanda Israelitici populi gloria haec tam immanis fraus contexta fuit, cur postea in iisdem libris tot enormia et tam nefanda ejusdem populi crimina exarata fuere; quae facile Moysi fuisset silentio premere, nisi historica sinceritate tam bona, quam mala referre voluisset?

(*) Nihil diximus de argumentis Manichaeorum contra legem Vet. Test., quia modo nihil aliud propositum erat, quam recentium Incredulorum cavillationes refellere contra revelationem a Deo Moysi factam.

§. LXVI.

Spinozae cavillationes refelluntur.

Spinoza decantata illa Moysis miracula vires naturae superasse negat: sic transitum maris rubri contigisse dicit ex naturali aquarum recessione, quae fit in maris fluxu. Certe Josephus Flavius auctor minime suspectus Lib. 2. *Antiq. Judaic.* Cap. 16. comparat transitum maris rubri cum transitu maris Pamphiliae ab exercitu Macedonum duce Alexandro. Immo idem auctor dubium relinquit, an divisio maris Erythraei Dei virtuti, an vero casui sit adscribenda, inquiens, ab Hebraeis in maris scissura salutem inventam *sive Dei voluntate, sive sponte naturae*. Voltairius autem hujus transitus fidem suspectam habet, quod nulla ipsius mentio apud Herodotum, Manethonem, Eratosthenem, aliosque profanos scriptores habeatur.

§. LXVII.

Trajectio maris rubri in fluxu maris fieri non potuit.

Ludunt tamen illuduntque nugaces, qui portentum omnium maximum naturali maris fluxui tribuere audent. In fluxu enim maris aquae non dividuntur a dextra, et laeva, ut tunc factum est. Ulterius fluxus maris, et refluxus spatio 12. horarum fieri solet, ut sensim recedentibus undis nonnisi exiguo temporis intervallo terra sicca appareat. Quis autem fingat tam breve temporis spatium suffecisse ad tantam hominum, jumentorum, impedimentorumque multitudinem transvehendam? Mirum autem est, potuisse transitum Hebraeorum per mare rubrum comparari transitui Macedonum per mare Pamphiliae. Alexander enim, referente Arriano Lib. 1. *de expeditione Alexandri*, Phaselis cum esset, et Pergen ire cogitaret, mare tantisper flantibus Aquilonibus recessisse videns, occasione celeriter capta littus legens cum expeditis copiis pertransivit. Id etiam narrat Strabo Lib. 14. *Geograph.* addens, milites umbilico tenus fuisse aqua demersos. Quid hic similitudinis cum transitu Hebraeorum per mare rubrum? *Divisa est enim aqua*, ut dicitur Exod. XIV. 22. *et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris; erat enim aqua, quasi murus a dextra eorum, et laeva.*

§. LXVIII.

Crucem certe figit eruditis Josephi auctoritas, quae tamen tanta non est, ut cum Moyse auctore sacro, et

coaevo, et qui totius rei gestae pars maxima fuit, comparari possit. Verosimile tamen est, ita Josephum scripsisse, ut Ethnicis, apud quos scribebat, ejus historia probaretur. Ceterum ibidem divinam virtutem in patrato prodigio manifeste agnoscit, inquiens: *Moyses Deum precatus mare virga percutit: istud vero ictu retunditur, et seipsum in se recipiens nudam relinquit humum, qua fugam capesserent Hebraei etc.* ut proinde ea, quae subdit: *sive Dei voluntate, sive sponte naturae*, ita explicari debeant: *sive Dei voluntate*, ut ego quidem arbitror; *sive sponte naturae*, *ut aliquis incredulus suspicari posset.* Unde etiam concludit: *Sed de his quisque, ut libuerit, sentiat.*

§. LXIX.

Silentium quorumdam veterum non obest.

Ut quid autem Voltairius silentium scriptorum profanorum nobis objicit, quorum nonnisi fragmenta aliqua supersunt, et qui tam insigne prodigium aut ignorare potuerunt, aut suis praejudiciis excaecati credere noluerunt? Illius tamen aliqua mentio ab aliis facta est, ut a Diodoro Siculo, ab Artapano, et Justino Trogo, ut videre est apud Eusebium Lib. 4. *Praeparat. Evangel.* Cap. 27.

§. LXX.

Etiam Prophetiis Moyses divinam revelationem probavit.

Ex multis, quibus Moyses suam missionem comprobavit, prophetiis, nonnisi paucas seligemus brevitatis gratia. Primo Numer. XIV. praedixit neminem eorum, qui vigesimum annum jam expleverunt, terram Chanaan esse visurum, Josue et Caleb dumtaxat exceptis, et veritas hujus prophetiae apparuit, quando in campestribus Moab lustratus fuit populus, Numer. XXVI. 64. Ulterius, jubet Moyses populo, ut postquam ingressus fuerit terram promissionis, septimo quoque anno terram non colat, praedicit autem sexto anno messem futuram, quae tribus annis sufficiat, Levit. XXV. 21. et ut ter in anno statutis temporibus quilibet masculus deserta propria regione ascendat ad locum electum a Deo, adjuncta promissione, quod nemo interea insidiabitur domibus illorum, Exodi XXXIV. 23. Jam vero has suas promissiones effectu non caruisse, vel ex eo solo liquet, quod hae duae leges sancte semper custoditae fuerunt, quod incredibile videretur, si aut defecisset annona, aut absentibus viris hostiles incursiones factae fuissent.

§. LXXI.

Alia Moysis Prophetia.

Sed alia hujus Hebraeorum Legislatoris est prophetia, quae legitur Deuter. XXVIII. 49. et seq. ubi non solum populo praedicit bona, et mala, prout Deo obediens fuerit, vel rebellis, sed etiam graphice, ut ita dicam, illas calamitates describit, quas postea Judaei sub Benadad, sub Nabuchodonosor, ac demum sub Tito, et Vespasiano passi sunt. Alias prophetias omittimus, ac potissimum illas, quae venturum Messiam respiciunt, de quibus infra erit opportunior dicendi locus.

§. LXXII.

Prophetias Mosaicas adeo apertas, et claras, non minus quam miracula irridere solent Increduli, tanquam supposititia figmenta ab aliquo impostore longo post Moysem tempore fraude consarcinata; ad quod impiorum hominum effugium praecludendum sit:

Digressio critica, qua ostenditur, Pentateuchum esse genuinum Moysis Opus, nec fuisse unquam ab aliquo impostore confictum aut interpolatum.

§. LXXIII.

Pentateuchus est genuinus Moysis factus.

Nullo certe efficaciori argumento evincitur a criticis aliquem librum esse genuinum, quam perpetua, et constanti traditione; neque enim alia de causa omnibus persuasum est, Æneidem esse opus Virgilii, aut Iliadem Homeri, nisi quia id perpetua, atque constanti traditione usque ad nos derivatum est, cui si aliquis refragari velit, jam de nullo antiquo opere certi erimus. At vero Pentateuchum esse genuinum Moysis faetum perpetua et constans est traditio a primis usque Hebraeorum temporibus ad nos propagata, quae eo pluris facienda est, quod hic agitur de libris, quibus tota Judaeorum religio, antiquitates, fasti, leges, moresque continebantur; quorum proinde originem, et auctorem certo noscere maxime intererat.

§. LXXIV.

Nec ulla interpolatio saltem gravis in iis fieri potuit.

Nullam vero fieri potuisse interpolationem saltem quantum ad prodigia, et vaticinia in iis contenta, ex eo patet, quod id contingere debuisset vel Moyse vix

defuncto, vel longo tempore post ejus obitum. Primum non est verosimile viventibus adhuc Josue, Caleb, aliisque principibus Israelitarum, qui certe tantam fraudem non permisissent; immo talis prodigiorum confictio risu, et indignatione ab ipso populo excepta fuisset, qui ignorare non poterat, quae sua, aut patrum suorum memoria contigerant. Si vero dicatur in Pentateuchum longe post Moysis obitum fuisse illa prodigia intrusa, tunc interpolare oportebat omnes, qui deinde conscripti fuerant libri, cum in illis, praecipue autem in Psalmis frequens sit eorundem prodigiorum mentio.

§. LXXV.

Nonnulla levioris momenti mutari potuerunt.

Sunt quidem aliqua pauca, quae successu temporum aut mutari majoris claritatis, aut etiam adjici potuerunt, ut quaedam civitatum, locorumque nomina, et ea, quae in postremo Deuteronomii capite de morte, et sepultura Moysis leguntur: sed pauca haec sunt, et quae sacrum textum originalem nec turbant, nec mutant. Quamquam non desunt viri eruditi, qui ostendant haec ipsa potuisse a Moyse scribi, qui prophetiae dono illustratus suam mortem, aliaque, quae post illam contigerunt, cognoscere potuit.

§. LXXVI.

Duae difficultates solvuntur.

Incredulis tamen nostris difficile, immo plane impossibile videtur, Moysi praesto fuisse in deserto, quae ad scribendum tot volumina necessaria erant; additque Spinoza, cum Deuteronomium scriptum fuisse dicatur in XII. lapidibus, quibus constabat altare, Josue VIII. 32. Deuteronomium Moysis multo brevius esse debuisse eo, quod nunc exstat. Prima tamen difficultas levis est, quemadmodum enim cetera necessaria Israelitis in deserto non defuerunt, ita etiam praesto erant, quae ad scribendum requiruntur, artemque scribendi fuisse antiquissimam erudite ostensum est a pluribus, praecipue autem a Gogueto in opere gallico *de origine legum, artium, scientiarum* etc. Altera autem difficultas non uno modo solvitur ab Interpretibus, quorum aliqui nonnisi praecepta Decalogi iis tabulis insculpta fuisse opinantur; alii benedictiones solas et maledictiones, quae fuerant in montibus Hebal, et Garizim pronunciatae; alii demum observant ex Cap. II. Deuter.

eos lapides *ingentes* esse debuisse et *calce laevigatos*, ut proinde etiam integrum Deuteronomium caperent.

§. LXXVII.

Difficultates ex libro IV. Esdrae.

Majorem difficultatem ingerit, quod legitur in Lib. IV. Esdrae XIV. 21. seq. *Lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quae a te facta sunt*. Ubi etiam additur, Esdram simul cum viris quinque aliis spatio 40. dierum scripsisse 204. libros. Hinc Esdras a sanctis Patribus ut novus sacrorum librorum auctor habetur. Alii vero putant, sacros codices fuisse ab Esdra in compendium redactos.

§. LXXVIII.

Qui rejicitur ut suppositius.

Esdram tamen non potuisse Mosaicos libros de novo scribere, aut immutare, vel ex eo solo invicte demonstratur, quod Samaritani Pentateuchum semper servarunt, et quidem iis litteris exaratum, quae in vetustissimis nummis Regum Juda adhuc videntur. Samaritani autem ab Esdra eum certe non acceperunt: nulla itaque habenda est fides Lib. IV. Esdrae, utpote qui utriusque Ecclesiae Graecae, et Latinae consensu in apocryphis numeratur, et Judaicis fabulis refertus est. Quod si Esdras a quibusdam sanctis Patribus Bibliorum restaurator est appellatus, id eo sensu intelligi debet, quatenus post captivitatem Babylonicam sacros codices Exscriptorum vitio corruptos ad normam illius exemplaris autographi, quod in arca servabatur, emendavit; et fortasse etiam, quia eosdem litteris Chaldaicis, quae solae in usu tunc erant, exscribendos curavit. Quod si sunt aliqui Patres, quorum dicta commode emolliri nequeant, ut sunt Clemens Alex. Lib. I. *Stromatum* n. 22. et S. Basilius epist. 42. ad Chilonem n. 5. dici debet, eos fuisse a suppositio Libro IV. Esdrae innocenter deceptos.

§. LXXIX.

Neque a Judaeis potuerunt libri Mosaici corrumpi.

Ita etiam benigne explicandi sunt, aut deferendi nonnulli Patres, ut Justinus, Irenaeus, Origenes, Hieronymus, aliique, qui Judaeos, ut corruptores Scripturarum saepe accusant. Primo enim hujusmodi accusatio prophetias tantum respicit futuri Messiae, quas a Judaeis saepe fuisse interpolatas illi Patres conquerebantur. Deinde potius de mala istarum prophetia-

rum interpretatione, quam de earum corruptione Judaei convicti sunt.

§. LXXX.

Neque demum fingi potest, in multis, et variis, quas Judaei passi sunt, calamitatibus, potuisse omnes sacros codices perire. Eos enim superfuisse post captivitatem Babylonicam satis innuitur ex Lib. I. Esdrae cap. VI. 18. et II. cap. VIII. 2. eodemque modo post generalem illam librorum combustionem, quam sub Antiocho factam fuisse legimus Lib. I., adhuc superfuisse aliquot eorum exemplaria ex iis verbis colligitur ibid. cap. III. 48. *Et expanderunt libros* etc. (*) **Non omnia sacrorum codicum exemplaria destrui potuerunt.**

CAPUT IX.

Lex vetus aliam promittebat perfectiorem, quae illi succedere debebat.

§. LXXXI.

Et primo quidem aperta est promissio per Moysem facta Deuter. XVIII. 15. *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*; quae verba unum Messiam spectare ex contextu, et ex linguae hebraicae genio ostendit P. Carolus Houbigant in hunc locum, ut proinde eorum sensus sit, venturum alium legislatorem post Moysem, quem Judaei audire debebant, quod vaticinium in Jesu Christo adimpletum fuisse notarunt S. Petrus Act. III. 22. et S. Stephanus Act. VII. 37. Hisque gemina repetit Moyses laud. cap. Deuteron. 18. de quibus dignus plane est, qui legatur Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 94. **Promissio novae revelationis.**

§. LXXXII.

Id autem adhuc magis perspicue declaravit Deus subsequentibus temporibus. Nam ore Jeremiae cap. XXXI.

(*) De auctore Pentateuchi, quem Moysem fuisse negant, non Increduli solum, sed etiam ex Christianis aliqui pauci, consuli possunt praeter innumeros alios Natalis Alexander Dissert. IX. in *Hist. V. T.* Huetius in *Demonst. Evangelica* proposit. IV. Calmet *Comment. in Pentat.* Dupinius in *Dissert. Praelim. de Auctor. librorum sacror.* et Hoockius *in principiis religionis revelatae*, P. I.

31. et seq. *Ecce*, inquit, *dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut adducerem eos de terra Ægypti..... et hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel ... dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi mihi erunt in populum.* His accedit, quod lex nova in his, aliisque multis locis praenunciata, non uni populo Judaico promissa sit, cujusmodi erat lex antiqua, sed plane omnibus gentibus. Perspicua est inter alias multas ea prophetia Malachiae I. 11. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda*; quo vaticinio, ut recte observavit S. Jo. Chrysostomus orat. 3. *contra Judaeos*, praedicitur abolitum iri veteris legis sacrificia, quae nonnisi in templo Jerosolymitano offerri poterant, ut constat ex Deuteron. XVI. et novum sacrificium sacrosanctae Eucharistiae instituendum (*).

Jam vero hanc Dei promissionem de nova ac copiosiore revelatione factam, fuisse a Christo Domino adimpletam nobis omni argumentorum genere demonstrandum erit, scilicet primo ex miraculis ab eo patratis; deinde ex pluribus ejus vaticiniis adimpletis; 3. ex sanctitate doctrinae ab eo promulgatae; 4. ex mira ejusdem doctrinae propagatione; demum ex fortitudine, et multitudine Martyrum, qui veritatis ipsius testimonium proprio sanguine reddiderunt. Sit itaque

(*) Cum hujusmodi veritas potius contra Judaeos, quam contra Incredulos demonstranda sit, his paucis contenti erimus, remittentes eos, qui plura desiderant, ad Dissert. Georgii Frid. Meinhart tom. I. *Thesauri novi theol. philolog.*, nonnullasque alias similes dissertationes theologico-philologicas citatas a Jo. Alb. Fabricio in *syllabo scriptorum etc.* cap. 31. p. 612. praeter multos scriptores, qui data opera Judaeos confutarunt, inter quos magnum sibi nomen comparavit Raym. Martinius Ord. Praed. in celebri opere cui titulus: *Pugio fidei adv. Mauros et Judaeos*, quem notis illustratum a Josepho de Voisin Parisiis edidit Phil. Jac. Mausaeus ann. 1651. fol.

CAPUT X.

Existentia divinae revelationis in N. T. ex divinis ejus notis, et characteribus probatur.

§. LXXXIII.

Prima probatio ex miraculis.

Christus Dominus novam legem constituens, et promulgans saepius testatus est, se a Deo Patre missum, suamque doctrinam suam non esse, sed Patris, qui misit illum, Joan. VII. 16. et alias saepe; et in hujus rei confirmationem multa, magna ac certissima edidit miracula palam, et tota inspectante Judaea; atque ad ea tamquam ad divinum veritatis sigillum omnes provocabat: *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre*, Joan. X.; unde etiam qui in ipsum crediderunt, miraculis se adductos fatebantur, dicentes cum Nicodemo Matth. XI. 4. *Scimus, quia a Deo venisti, magister; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

§. LXXXIV.

Potissimum vero ex resurrectione a mortuis, de qua prudenter dubitari nequit.

Sed omnium Christi miraculorum maximum, quod cetera omnia confirmat, est ejus resurrectio a mortuis. Licet enim quis fingere velit, Christum potuisse discipulos suos variis artibus decipere, dum viveret, id facere non poterat post mortem. At vero de Christi resurrectione nullo modo dubitare possumus, nisi dicamus, Apostolos, et discipulos, qui eam ubique contestati sunt, aut fuisse turpiter hallucinatos, aut voluisse fraudulenter totum mundum decipere; utrumque autem incredibile est; et 1. quidem nam Christum bene noverant, ejusque resurrectionem avide expectabant, ac proinde impossibile erat, eos decipi in re tam aperta, in qua oculis tantummodo, et sensibus opus erat. Neque eos temere credidisse, liquet ex solo facto Thomae, qui plane vulnera Christi redivivi contrectare voluit. Neque etiam credibile est, eos voluisse ex condicto mundum decipere; quandoquidem nullum aliud suae fraudis reportabant, aut sperare poterant praemium, quam labores, aerumnas, persecutiones, carceres, flagella, et ultimum denique supplicium. Hoc fuerat ipsis a Christo saepius praedictum, et hanc praedictionem adimpleri videbant tum in aliis, tum qui-

libet in se ipso; et tamen omnes constantes usque ad mortem, Christi resurrectionem, ut rem certissimam, et a se visam praedicarunt.

§. LXXXV.

Id confirmatur ex vita, et miraculis Apostolorum, ac conversione S. Pauli.

Accedit Apostolos fuisse viros vitae innocentissimae, quibus nihil aliud potuerunt Ethnici exprobrare, quam Evangelii praedicationem. Ulterius eos pluribus signis, et prodigiis juxta Domini praedictionem sibi fidem conciliasse, certis historiae monumentis probari potest, et, ut observabat S. Augustinus, miraculum fuisse longe majus, a paucis et illiteratis hominibus fuisse mundum sine miraculis ad religionem Christi conversum. Accedit demum mirabilis ac repentina illa S. Pauli mutatio ex persecutore Christiani nominis in ejusdem promulgatorem, et defensorem, quam sine miraculo fieri non potuisse, manifestum est.

Quae certa sunt, vel ex sola traditione.

Scholion. Parum interest ad praesentem controversiam, an N. T. libri genuini, et canonici sint, nec ne, nam sola horum miraculorum traditio, quam nec adversarii inficiari possunt, abunde sufficit. Et quamquam testes hi omnes Christiani sint, non tamen eorum fides suspecta esse potest; 1. quia in re omnibus manifesta non est credibile, eos voluisse tam impudenter mentiri; 2. quia saltem primi fuerunt vel Judaei, vel Gentiles, veritate autem cognita Christi religioni nomen dederunt. Caeterum sacros N. T. libros et genuinos esse, et integros ad nos pervenisse, suo loco ostendetur.

§. LXXXVI.

Cur Christus omnibus non apparuerit?

Solent nostrae aetatis Increduli moleste sciscitari, ecur Christus redivivus solis Apostolis, et discipulis, non autem palam in Judaea se videndum praebuerit? cui quaestioni nihil aliud reponere possumus, quam quod S. Petrus dicebat Cornelio Act. X. 41. Christum debuisse manifestari *non omni populo*, *sed testibus praeordinatis a Deo*. Caeterum ii testes et tam multi fuerunt, et tantae auctoritatis, ut nemo posset iis fidem denegare.

§. LXXXVII.

Cur Christi miraculis non omnes crediderint?

Sed adhuc molestius quaerunt, quomodo fieri potuerit, ut tam pauci, iique plerumque pauperes, et

idiotae Christo adhaererent, si tot miracula patrasset? praecipue, cum Judaei ea aetate Messiam expectarent. Verumtamen aliud est, intellectum convincere, aliud voluntatem movere. Multi suis cupiditatibus obcaecati ad miracula Christi ne attendebant quidem; alii de iis dubitandi rationes quascunque arripiebant; alii demum rem differebant, quousque convictio intellectus passionum vehementiae cederet. Altior est etiam hujus rei causa, nempe judiciorum Dei abyssus, qui aliquibus pro infinita sua misericordia gratiam efficacem conversionis largitur; alios autem pro sua justitia in voluntaria caecitate relinquit. Ceterum multo magis esset mirandum, si sine miraculis illae primae Judaeorum, atque Gentilium conversiones factae fuissent, quam quod visis, et auditis Christi, Apostolorumque miraculis tam multi pertinaciter veritati restiterint. Insuper ea Judaeorum excaecatio jam multo ante fuerat a Prophetis praedicta. Vid. Isaiae cap. VII. Et Judaei Messiam expectabant non in humilitate, et abjectione, in qua Christus apparuit, sed in regali pompa, et potestate.

§. LXXXVIII.

Nulla est comparatio inter J. C. et Apollonium Tyanaeum aut alios magos.

Hierocles Ægypti praefectus, ut Christi miraculis fidem detraheret, illi opponebat celebrem ea aetate magum Apollonium Tyanaeum, cujus vitam octo libris Philostratus complexus est. Tot autem virtutibus, ac prodigiis inclaruisse dicitur, ut divinos honores consecutus fuerit. Eundem nostri Increduli in scenam revocare solent, ut quemadmodum Apollonii fama jam dudum obscurata fuit, ita Christi gloria minuatur. Si tamen bona fide agerent, facile viderent immane discrimen, quod inter impostorem Apollonium, aut alios magos, atque humani generis redemptorem Christum intercedit. 1. Christi miracula, ac praecipue resurrectionem praedicarunt, et litteris consignarunt Apostoli, oculati testes, et pro hujus veritatis confirmatione innumera malorum genera, atque ultimum supplicium alacriter pertulerunt; vitam Apollonii conscripsit Philostratus integro fere seculo posterior, qui etiam testes obscuros adhibet, et quibus ipse non raro fidem denegat. 2. Plura referuntur de Apollonio vana, ridicula, et absurda, ut cum quemdam Leonem dicebat esse Amasim antiquum Ægypti regem, et amici sui uxorem esse Daemonem foeminei sexus: in Christi au-

tem doctrina, et miraculis nihil non sanctum, et Deo dignum. Demum honores Apollonio tributi post breve tempus obliterati sunt, Christi religio jam octodecim seculis florere pergit. Nimirum, ut etiam dicebat Cicero: *Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat.* Hinc etiam sapienter monebat Gamaliel Act. V. 38. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si autem a Deo est, non poteritis dissolvere illud.*

Scholion. Quae opponere solent Increduli petita ex quibusdam apparentibus Antilogiis, sive inter novum Testamentum, et vetus, sive inter varios N. T. libros, apud interpretes sacrae scripturae invenientur; nimis enim longum esset haec omnia persequi.

§. LXXXIX.

Probatio 2. ex Prophetiis. Nec minus efficaciter Christus suae doctrinae veritatem prophetiis confirmavit. Paucas ex plurimis seligimus; atque omnium maxime insignis est illa, qua suam passionem, mortem, ac resurrectionem praedixit Matth. XII. 4. Marci VIII. 31. et alibi; quam prophetiam fuisse opere completam, jam ostendimus. Altera prophetia est de Judaeorum reprobatione et vocatione Gentium, Matth. VIII. et XXI. quam longa XVII. et amplius seculorum series adimpletam ostendit. Tertia est de eversione Jerusalem, in qua etiam circumstantiae praedictae sunt, scilicet 1. excitandam esse Ecclesiae persecutionem; 2. deinde futuros Magos, et Pseudoprophetas; 3. monuit suos fideles, ut cum haec fieri viderent, sese ad montes reciperent, cui etiam monitioni parentes, et Pellam secedentes, parvam in montanis urbem, servati sunt, ut Eusebius narrat lib. 2. *Hist. eccl.* cap. 5.; ac demum praedixit civitatis obsidionem, et ruinam, praecipue autem templi, quam justa Dei punitione potius, quam victorum ira contigisse scimus, cum Titus omnem operam dederit, ne tam magnificum aedificium dirueretur; et notum est etiam, illud nullo conatu potuisse a Juliano Imperatore postea reaedificari, erumpentibus nimirum e terra flammis, quae operarios interimebant, quemadmodum Ammianus testis non suspectus narrat lib. XXIII. cap. 1. Jam vero talium rerum hac sunt praedictiones, quae nulla poterant humana prudentia, aut industria praevideri.

§. XC.

Probatio 3. ex sanctitate doctrinae, et 1. doctrinae theoreticae.

Quod si breviter pro temporis nobis concessi angustia doctrinam a J. C. promulgatam examinemus, apparebit, nihil ea sublimius inveniri posse, sive ea parte, quae theoretica est, sive etiam ea, quae practica dicitur, et mores respicit. Nobis enim Dei naturam spiritualem exhibet, eumque in spiritu, et veritate adorandum praecipit, Joan. IV. 24. eundem creatorem fuisse caeli, et terrae, omniumque rerum conservatorem Act. XVII. summa ipsius providentia describitur Matth. VI. ejus misericordia erga peccatores, quos expectat, quaerit, et benigniter ad se adducit, praemia aeterna justis promissa, et quidem talia, quorum nulla apud ethnicos Philosophos invenitur mentio, aut notitia, quemadmodum etiam aeterna supplicia impiis comminata. Gratiae insuper, et praedestinationis mysteria in N. T. perspicue quoad fieri poterat, revelata sunt, in quibus apparet infinita Dei bonitas erga electos, justitia erga reprobos, supremum Dei dominium erga omnes: apparet quoque ejus omnipotentia, qua liberas hominum voluntates sibi subjicit. Nimis autem longum esset dicere de aliis mysteriis Trinitatis, Incarnationis, peccati originalis, ejusque remedio etc. quae in veteri Testamento veluti adumbrata, in novo autem revelata, et distincte manifestata fuere. Hic fidenter provocamus incredulos, ut nobis ostendant in omnibus Philosophorum libris parem, aut similem divinae essentiae, ejusque attributorum expositionem; erant enim in tanta dissensione constituti, ut Cicero difficile reputaret, eorum enumerare sententias.

§. XCI.

Tum vero doctrinae practicae ad mores spectantis.

Sed fortasse divinitas doctrinae christianae Incredulis clarius apparebit, si oculos ad Ethicam christianam convertant. Porro illius fundamentum est amor Dei, et proximi Matth. XXII. et quidem talis amor Dei praecipitur, qui non solum in affectu, sed etiam in effectu consistat; *est enim caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus* Joan. V. 3. Dilectio autem proximi, unde omnia humanae societatis officia promanant, adeo vehementer inculcatur, ut ex hoc cognoscendos esse discipulos suos Christus dicat, si dilectionem habuerint ad invicem Joan. XIII.: qualis autem esse debeat

haec dilectio explicat Apostolus I. Corinth. XIII. 4. inquiens: *Caritas patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Peculiariter autem praecipitur; ut Principibus tributum solvatur, et superioribus obedientia praestetur, ut fides conjugalis immaculata custodiatur, ut mutuum sine spe retributionis detur; et ne integros N. T. libros exscribere debeamus, satis erit ea afferre, quae S. Paulus commendabat Philippensibus cap. IV. 8. *Fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.*

§. XCII.

Unde etiam magna morum emendatio secuta est.

Ut autem appareat, quanta fuerit hujus divinae Ethicae supra Ethicam philosophorum excellentia, et efficacia, breviter consideremus, quanta ex illius praedicatione morum emendatio secuta fuerit. Neminem latet, qui profanam historiam vel a limine salutavit, non obstantibus Philosophorum praeceptis corruptissimos ubique fuisse mores; immo de ipsis Philosophiae Magistris conquerebatur Cicero *Tuscul. quaest.* Lib. 2. cap. 4. *eos non obtemperare ipsos sibi, nec ea facere, quae docebant.* At vero, qui doctrinam Christi profitebantur, adeo omnia humanae vitae officia accurate servabant, ut nostri Apologistae Ethnicos fidenter provocare potuerint, ut aliquod, si possent, ipsis crimen objicerent: tantam autem suis Principibus, a quibus tot persecutiones patiebantur, fidelitatem servabant, ut non solum nullius unquam seditionis accusari potuerint, sed etiam juges ad Deum preces pro eorum, atque Imperii salute funderent, immo, quod plus est, vel ipsi Ethnici, qui omni afflictionis genere Christianos insectabantur, veritate coacti testimonium ipsorum sanctimoniae reddere non recusaverint (*).

(*) Tertullianus ad Scapulam cap. 2. *Numquam*, inquiebat, *Albiniani, aut Nigriniani, vel Cassiani* (quae factiones tunc grassabantur) *inveniri potuerunt Christiani....*

§. XCIII.

Quarta probatio ex mirabili Evangelii propagatione.

Christus Dominus ut suae doctrinae divinitatem etiam evidentius ostenderet, eam non armis, et vi, non per sapientes hujus seculi, sed per eos Apostolos, et discipulos toto terrarum orbe propagari voluit, qui omnium minime idonei ad id videbantur; rudes enim erant et illiterati, ex gente Judaica aliis nationibus invisa, et denique pauperes, et infimo loco nati. Isti tamen divino spiritu inflammati incipientes a Judaea, postea hinc inde dispersi toti mundo legem Christi, superstitioni ubique regnanti adversam, et corruptae naturae passionibus repugnantem, annuntiant, non apud barbaras, incultasque nationes tantum, sed in Synagogis Judaeorum et apud doctissimos quoque, Athenis, Corinthi, Romae, etc., quantus autem fuerit numerus eorum, qui ex superstitione idolorum aut ex reprobata Synagoga novae Christi religioni collum submiserunt, ex multis sive nostrorum, sive etiam Ethnicorum testimoniis colligi potest. Paucis contenti erimus. S. Clemens Rom. in Epist. ad Corinthios scripta imperante Nerone num. 6. *his viris*, inquit, nempe Petro, et Paulo, *aggregata est multitudo ingens electorum etc.* S. autem Ignatius, qui sub Trajano martyrium subiit, scribens ad Philadelphienses cap. 4. Ecclesiam Christi a *terrae fine usque ad finem* dilatatam esse scribebat. Idem majori emphasi repetit S. Justinus II. medio seculo, ac denique, ut alios omittam, Tertullianus, qui eodem seculo II. desinente florebat, in suo *Apologetico* cap. 12. *Hesterni sumus*, inquiebat, *et vestra implevimus*, *urbes*, *insulas*, *castella*, *municipia*, *conciliabula*, *castra ipsa*, *tribus*, *decurias*, *palatium*, *senatum*, *forum*.

***Christianus nullius est hostis nedum Imperatoris*, *quem sciens a Deo suo constitui*, *necesse est*, *ut et ipsum diligat*, *et revereatur*, *et honoret*, *et salvum velit cum toto Romano Imperio*.** **Nota insuper sunt, quae Plinius junior de Christianorum innocentia Trajano Imperatori scripsit lib. X. Epist. 97. scilicet, eos sacramento obstrictos, *ne furta*, *ne latrocinia*, *ne adulterium committerent*, *ne fidem fallerent*, *ne depositum appellati abnegarent etc.* tum quae Julianus Apostata Epist. 49. ad Arsacium de Christianorum, a quibus defecerat, caritate fateri coactus est. Legi merentur quae Fleury, et P. Mamachius de moribus veterum Christianorum pie, et erudite scripserunt.**

§. XCIV.

Et ne quis haec domestica testimonia suspecta habeat, nonnulla addemus ex scriptoribus Ethnicis. Tacitus *Annal.* Lib. XV. cap. 44. *multitudinem ingentem* Christianorum suo tempore, nempe ante finem seculi I. detectam fuisse scribit; et paulo post Plinius junior Trajano exponens ea, quae de Christianis repererat, dicit: *ipsorum superstitionem* (ut illi videbatur) *non civitates tantum, sed vicos etiam atque agros esse pervagatam, et prope jam desolata Idolorum templa.* Lib. X. Epist. 97. Neque vero ii plebei tantum, vel rudes erant, sed etiam nobiles, ac litterati, ut Flavius Clemens vir Consularis, ac Domitiani patruelis cum sua uxore Domitilla, ut Justinus, Ignatius, Polycarpus, Irenaeus, et tot alii insignes doctrina, et pietate, quorum maximam copiam fuisse, contra Vitringam, et Clarksonum duo praestantissimi Dominicani Mamachius, et Ansaldus nuperrime vindicarunt.

§. XCV.

Quinta probatio ex multitudine Martyrum.

Crescit autem mirifice hujus argumenti vis, si consideremus, quanta fuerint primis Christianis, in difficillimis illis temporibus obstacula superanda. Ubique enim quaerebantur ad carceres, ad tormenta, ad horrenda supplicia; nihil erat tunc magis invisum aut vilius existimatum, quam professio religionis Christianae; ut patet ex variis contumeliosis nominibus, quibus appellabantur, et quae magna diligentia collegit P. Mamachius tom. 1. *Orig. et Antiqu. Christian.* In decem illis persecutionibus, quae quatuor prioribus Ecclesiae seculis a Nerone usque ad Diocletianum et Licinium ubique fere terrarum grassatae sunt, innumera fuit Martyrum copia, nec propterea religio Christiana aut extincta est, aut diminuta, et *sanguis Martyrum*, ut inquiebat Tertullianus *Apolog.* cap. ult. *semen erat Christianorum*, ac tandem hoste triumphato Crux Christi vidit Regum atque Imperatorum sibi colla subdi, atque in ipsa urbe Roma totius mundi metropoli sedem suam fixit, ubi antea Idololatria tamquam in solio regnabat. *Haec certe mutatio dexterae Excelsi*, cum intelligi nullatenus queat, homines ad credendum tam sublimia Christianae Religionis my-

steria, ad observandum mandata, quae corruptae naturae passionibus vehementer repugnant, ad toleranda tam dura supplicia potuisse humanis mediis, aut motivis induci.

§. XCVI.

Nec valet exemplum pseudomartyrum.

Non equidem inficior, etiam in falsis sectis aliqua inveniri exempla hominum, qui suis erroribus adeo pertinaciter adhaeserunt, ut mortem potius subire, quam eos ejurare maluerint; imo et Atheismo suos non defuisse Martyres Baelius confidenter asserit. Est tamen observandum, magnum esse discrimen, 1. in multitudine; nam etiamsi apocrypha quaedam Martyrum acta rejiciamus, incredibilem nihilominus eorum multitudinem fuisse ex indubiis monumentis contra Henr. Dodwellum a Ruinartio, aliisque demonstratum fuit; falsae autem sectae nonnisi paucos pseudo-martyres jactare possunt. 2. In variis et exquisitissimis tormentorum generibus, quibus nostrae Religionis athletae probati fuerunt, qua de re videri meretur P. Mamachius Tom. 3. *orig. et antiquit. christian.* falsarum autem sectarum pseudo-martyres plerumque breve supplicium sustinuerunt. 3. Tam mirabile non est, in obscuris quibusdam opinionibus homines adeo decipi, ut pro errore, quo semel imbuti sunt, sanguinem dare velint: at vero Apostoli, primique Christi discipuli in Christi resurrectione, ut observavimus §. 84. nullo modo decipi poterant: Martyres vero Atheismi fuisse negamus; qui enim hanc ob causam supplicio affecti sunt, ut Lucilius Vanini, poenam praeteritae impietatis luere coacti fuere, optione ipsis minime facta declinandi mortem, si Atheismum ejurare voluissent. Quod si etiam hujusmodi exempla afferri possent (quod non reor) facile tamen intelligeretur, eos in desperationem actos vitam finire voluisse, postquam nullum amplius superesse malum stulte opinabantur, secus ac Christiani, qui credunt, post hanc brevem vitam superesse aeternam.

Scholion. Hanc maximi momenti materiam, non minus pie, quam docte pertractavit celebris P. Hieron. Savonarola in suo *triumpho Crucis*; quo in

opusculo licet mole parvo multa complexus est, quae non solum ad intellectum convincendum, sed etiam ad pios voluntatis affectus excitandos plurimum valent.

CAPUT XI.

Ostenditur Libros N. T. esse genuinos, et a Deo inspiratos, atque integros ad nos pervenisse.

§. XCVII.

Necessitas ostendendi libros N. T. esse genuinos.

Quamquam, ut innuimus §. 85. veritas miraculorum Christi ita ex perpetua, constanti, universalique omnium traditione constet, ut de ea dubitare nemo prudens possit, etiamsi dubitare aliquis vellet, Evangelia, aliosque N. T. libros esse genuinos, necesse est tamen contra aliquos pseudo-criticos, ac potissimum contra nuperum scriptorem (*) de antiqua, certaque eorum origine disserere, cum in iis non solum Christi miracula, sed ejus etiam caelestis doctrina contineatur; sintque totius Theologiae primum fundamentum, et basis. Cum autem haec nostra disputatio sit tantummodo contra divinae revelationis hostes, eas intactas controversias relinquemus, quae cum Protestantibus vigent de paucis novi foederis libris, quas fusius alii pertractare solent.

§. XCVII.

Quatuor Evangelia genuina sunt.

Et quidem Evangelia esse veros, et legitimos eorum, quorum nomina praeferunt, foetus, adeo constans fuit omnium persuasio, ut neque Ethnici, neque Judaei acerrimi christianae religionis hostes ul-

(*) Freretus, sive quisquis alius sub ejus nomine in pestilenti opere cui titulus: *Examen critique des Apologistes de la Religion Chretienne*, primis capitibus demonstratum nunquam fuisse contendit, Evangelia esse genuina; quem tamen librum illico confutavit Bergerius in opere: *La certitude des preuves du Christianisme*, et nuper P. Vinc. Fassini Ord. Praed. in libro singulari: *De Apostolica origine Evangeliorum* Liburni 1775, hanc materiam accurate, copioseque tractavit.

Iam hac de re litem moverint; ipsique Haeretici, qui Christi ejusque discipulorum doctrinam pervertere conati sunt, potius falsis, et absurdis interpretationibus sacros codices corrumpere, quam eorumdem Apostolicam originem inficiari audebant, paucissimis exceptis, quorum vani clamores ab omnium aliorum consensione veluti suffocati sunt. Insignis hac de re est locus apud S. Irenaeum lib. 3. *adv. Haer.* cap. XI. et Origenes apud Eusebium lib. VI. cap. 25. de quatuor nostris Evangeliis loquens fidenter affirmabat: *haec sola in universa Dei Ecclesia, quae sub caelo est sine controversia admitti.* Idemque dicendum de Actibus Apostolorum, ac ceteris libris sacris, quos ideo in canone recepit Ecclesia, quia perpetua majorum nostrorum traditione eos genuinos esse cognovit.

§. XCIX.

Libri apocryphi a genuinis fuere diligenter separati.

Non equidem negaverim, fuisse et Evangelia quaedam, et nonnulla sacra volumina ab impostoribus conficta, et etiam alicubi incaute recepta; sed Eusebius lib. 3. *Hist. Eccl.* cap. 25. nos monet, magnam adhibitam diligentiam fuisse; et qui libri in omnibus, vel saltem praecipuis, et Apostolicis Ecclesiis ut sacri palam, et antiquitus legebantur, hi tamquam *canonici*, et divinitus inspirati publica veneratione digni habiti sunt; ubi contra claris notis de aliquorum suppositione constabat, ii inter apocryphos rejecti sunt; ubi demum res non omnino perspicua erat, ii inter ἀντιλεγομένους recensebantur; ut proinde audiendi non sint, qui ex controversiis jamdiu natis de librorum sacrorum auctoritate, omnes in dubium revocare conantur, quasi vero non certo criterio, sed hominum arbitratu genuinorum codicum canon confectus sit.

§. C.

Patres non nisi rarissime Evangeliis apocryphis usi sunt.

Neque etiam inficias ivero, nonnullos ex antiquis Ecclesiae Patribus quaedam ex Evangeliis allegasse, quae in nostris quatuor non reperiuntur; sed observandum est 1. eos nonnumquam non tam ad verba attendisse, quam ad sensum; 2. aliquas Christi Domini sententias adduxisse, quae sola traditione omnibus pervulgatae erant; demum, etsi daretur, eos

apocryphis Evangeliis fuisse usos, quod a Papia factum memorat Eusebius in postremis verbis libri 3. *Hist. Eccl.*, id tamen perraro contigit, et fortasse nonnisi semel, aut iterum.

§. CI.

Evangelia ut a Deo inspirata habita sunt vel a primis Christianis.

Sed et illud addendum est, primos Ecclesiae Patres, dum verba ex Evangeliis, aliisque sacris codicibus allegabant, in iis divinam revelationem, atque auctoritatem contineri existimasse. Sic Clementis Rom. epistolae ad Corinthios testimoniis Evangeliorum Matthaei, Marci, et Lucae (quartum enim Joannis nondum conscriptum erat) atque Epistol. S. Pauli plenae sunt. Sic S. Ignatius in epistol. ad Philadelph. n. 5. se confugere dicebat ad Evangelium, *tamquam ad carnem Christi*. Sic Polycarpus, Justinus, et ceteri omnes, qui subsecuti sunt. Imo ante ipsos S. Paulus I. ad Thessal. II, 13. gratias agebat Deo, quod verbum a se praedicatum accepissent *non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei*, et in II. ad Timoth. III. 16. vocat, *omnem scripturam divinitus inspiratam*.

§. CII.

Sacri codices integri ad nos pervenerunt.

Hujusmodi autem scripta integra ad nos pervenisse, non solum inde liquet, quod ad divinam providentiam spectabat, ea quantum ad substantiam incorrupta servare; sed etiam, quia statim distractis ubique in ipso religionis initio pluribus exemplaribus, vix ac ne vix quidem fieri poterat, ut gravis aliqua mutatio inveheretur, quin eam primi illi Apostolici viri interpolationem animadverterent, et corrigerent. Hinc etiam, qui variationes codicum antiquorum diligentissime collegerunt, ut Jac. Millius, eas nonnisi in minutioribus rebus deprehendere potuerunt. Demum ea, quae ad dogmata fidei, et morum pertinent, et saepius repetita in diversis libris plerumque sunt, quae omnia loca interpolari impossibile erat; et ulterius etiam perpetua et constanti Patrum, et fidelium omnium traditione ad nos usque pervenerunt; de qua traditione statim verba faciemus.

CAPUT XII.

De Traditionibus.

§. CIII.

Scripturam sacram utriusque testamenti primum, et firmissimum esse nostrae religionis fundamentum, nemo christianorum negat, et ex hactenus dictis luculentissime sequitur. Sed non idem est omnium de traditionibus judicium. Catholici eas venerantur tanquam alterum post scripturas divinae revelationis fontem: nec ab eadem sententia abhorrent ii, qui inter Heterodoxos *Anglos* nominantur *Episcopales*; caeteri autem Acatholici non solum traditiones respuunt, sed quidam eorum eas tanquam lutulentissimos falsorum dogmatum fontes diris omnibus devovent. Ut autem haec controversia, quae gravissima est, dilucidius tractetur, I. explicandum erit, quid, et quotuplex sit traditio.

§. CIV.

Quid, et quotuplex sit traditio.

Nomine traditionis hic nihil aliud intelligitur, quam doctrina non scripta, sed voce tantum communicata, et quasi per manus tradita. Duplex autem est traditionis divisio, altera ratione materiae, altera ratione auctoris, seu principii. Ratione materiae dividitur traditio in eam, quae est dogmatum fidei, in aliam, quae respicit praecepta morum, et in tertiam, quae est de Ecclesiae disciplina. Ratione autem auctoris seu principii traditiones aliae sunt Divinae, aliae Apostolicae, aliae mere Ecclesiasticae; quae divisiones satis per se perspicuae explicatione non indigent.

§. CV.

Traditiones sunt necessariae duplici ex capite.

De solis traditionibus divinis, vel apostolicis, quae fidei, aut morum dogmata respiciunt, nobis cum Acatholicis gravis controversia est. Contendimus scilicet, admittendas esse divinas et apostolicas traditiones, tum ad verum, et orthodoxum sacrae scripturae sensum intelligendum, tum propter quaedam

fidei, morumque capita, quae in sacris litteris aut nullatenus, aut solum obscure continentur.

§. CVI.

Primo ad orthodoxum Scripturae sensum cognoscendum.

Quantum ad primam partem, non admodum repugnantes sunt vel ipsi Heterodoxi, et facile patet, sive propter innatam quorumdam locorum scripturae sacrae obscuritatem, sive propter hominum perversitatem non melius posse nos genuinum ejusdem scripturae sensum cognoscere, quam si attendamus ad primam fidelium traditionem, qui illum ore Apostolorum explicatum audiverunt. Hanc scripturae sacrae intelligendae methodum luculenter exponit Vincentius Lirinensis in *commonit.* I. cap. I. et ante Vinc. Lirinensem jam tradiderat Eusebius Caesar. *contra Marcellum Ancyr.* cap. 1.

§. CVII.

Secundo ad cognoscenda quaedam dogmata in S. Litteris non contenta.

Secunda autem pars haud obscure insinuatur a S. Paulo II. ad Thessal. II. 15. his verbis: *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Quem locum, licet per se apertum ita illustrat S. Joan. Chrysostomus: *Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt* (Apostoli) *per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna.* Eademque fere habet S. Basilius lib. *de Spir. S.* cap. 29. Similis est huic alter ejusdem Pauli locus II. ad Timoth. I. 13. ubi ait: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu: bonum depositum custodi etc.*

§. CVIII.

Plura dogmata sola traditione a Christianis tenentur.

Et sane pleraque enumerare possumus fidei morumque dogmata, quae adversarii ipsi nobiscum profitentur, quorum tamen vel nullum est, vel nonnisi obscurum in sacris litteris vestigium. I. enim eosdem fere sacros, et canonicos utriusque testamenti libros (paucis exceptis) Heterodoxi nobiscum venerantur, quod quidem dogma omnium aliorum fundamentum est: at vero sacrorum librorum canonem nonnisi ex traditione habemus. Praeterea Calvinistae et Lutherani nobiscum communiter credunt perpetuam Deiparae virginitatem contra Helvidium; baptismum ab haereticis collatum valere contra Afros

rebaptizantes, baptizandos esse infantes contra Anabaptistas; ipsi etiam ex traditione Apostolica diem dominicam loco sabbathi sanctificandam esse tenent contra Judaizantes, ac licitum esse esum sanguinis non obstante apostolico interdicto; et id genus alia.

§. CIX.

Demum admittendas esse traditiones etiam perpetuo Ecclesiae usu confirmatur, cui inhaerens Oecumenica Tridentina Synodus sess. IV. inquiebat: se *orthodoxorum Patrum exempla secutam; traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas pari* (ac scripturas sacras) *pietatis affectu, ac reverentia suscipere, et venerari*: additque: *si quis traditiones praedictas sciens et prudens contemserit, anathema sit.* Id confirmatur Ecclesiae usu.

Scholion. Ex quo autem Concilium Trid. non determinaverit, quaenam sint illae traditiones, quas Apostoli vel oretenus a Christo, vel ab interna Spiritus S. inspiratione acceperunt, male ut puto infert auctor *juris publ. Eccl. Cathol. ad statum Germ.* pag. 16. et seq. edit. 1746., fulmen ab eodem Concilio latum, esse *vagum*, neque efficaciter ferire Protestantes, cum isti non negent *jus*, seu admittendas esse tales traditiones, si extent, sed solum *factum*, nempe eas existere. Male inquam: ex toto enim illo capite facile constat, Concilii Trid. mentem fuisse definire contra Protestantes, reipsa existere divinas, et apostolicas traditiones, quod illi negabant, licet quaenam illae sint, ibi definire noluerit, quod tamen praestitit, quando definiendi aliquod dogma, quod in sacris Litteris perspicue non continebatur, occasio se obtulit; sicuti ipse auctor erudite observat. Illo itaque fulmine feriuntur determinate, et efficaciter, qui existere aliquas traditiones divino-apostolicas negant, quemadmodum fulminibus ejusdem Concilii efficaciter percutiuntur, qui negant, colendos esse sanctos, adorandas reliquias, aut in hostia consecrata esse corpus Christi realiter praesens, quamvis fide non constet, quinam sint vere Sancti, quaenam genuinae reliquiae, aut hostiae rite consecra-

tae. Et si Ecclesiae fulmen declinare possent Protestantes hac in re, quia non negant jus, sed factum, non video, quomodo non possent etiam in omnibus aliis erroribus esse a fulmine immunes; semper enim dicent, paratos se esse ad omnia recipienda, quae a Christo Ecclesiae revelata sunt, negare se solum factum, id est, haec et alia dogmata esse a Deo revelata. Imo et Judaeis, et Infidelibus, atque ipsis Atheis lata aperiretur se simili modo excusandi via.

§. CX.

Traditionum ex stentia non arguit S. Litteras imperfectionis.

Ex quo autem non omnia dogmata expresse in sacris litteris contineantur, consequens non est easdem sacras litteras imperfectas esse, ut aliqui nobis objiciunt; sicuti imperfectum non est unum Evangelium, ex quo aliquid illi desit, quod continetur in aliis, cum hoc non ex sacrorum scriptorum incuria, sed ex Dei voluntate factum sit. Sic etiam imperfecta non erat religio christiana, quando in sui exordio tota orali Christi Domini, ac Apostolorum traditione continebatur.

§. CXI.

Christus veras traditiones non condemnavit.

Neque ex quo Christus Matthaei XV. 3. Pharisaeos redarguit, quod falsas majorum suorum traditiones sectantes mandatum Dei transgrederentur, sequitur etiam veras traditiones, quae nihil aliud sunt, quam verbum Dei non scriptum, ab eo reprobatas fuisse, cum eas, ut mox vidimus (§. 107.) fidelibus tantopere commendaverit Apostolus.

§. CXII.

Traditiones viam non aperiunt erroribus.

Sed conqueruntur Heterodoxi, aperta semel traditionum porta innumeris erroribus in Religionem ingressum patere; quotquot enim fuere Haeretici priorum temporum omnes traditionum praetextu commenta sua defendebant. Verum si hoc argumentum valeret, etiam contra sacras scripturas haberet vim; non minus enim in scripturis sacris male intellectis, quam in falsis traditionibus suorum errorum patrocinium quaerebant. Imo ex quo haeretici traditionibus non minus, quam sacris litteris abuterentur, colligere possumus, traditiones aeque, ac scripturas sacras ut divinae revelationis fontes fuisse habitas.

Caeterum, inter alias regulas ad veras traditiones a falsis secernendas illa semper prae oculis habenda est, quam Vinc. Lirinensis saepe inculcat, ut illud solum vere a Christo, et Apostolis descendere credatur, *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus traditum est.* Sed de verae traditionis notis in *Patrologia* actum est satis.

§. CXIII.

SS. Patres veras traditiones non condemnant, sed commendant.

Longum esset omnia sanctorum Patrum testimonia referre, et explicare, quae ab adversariis allegantur ad traditiones explodendas. Communiter tamen illi nonnisi in falsas, et commentitias Haereticorum traditiones invehebantur; veras enim, et genuinas debita veneratione se prosequi profitebantur. Unum vel alterum in medium afferre inutile non erit. S. Ignatius Martyr teste Eusebio Lib. 3. *Hist.* cap. 36. Christianos hortabatur, ut *Apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent.* S. Epiphanius *Haer.* 61. *sed et traditione quoque*, dicebat, *opus est; neque enim ex scripturis peti possunt omnia: idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt.* Et infinitus essem, si caetera Patrum testimonia commemorare vellem. Praetereundus tamen non est S. Augustinus, qui Lib. 5. de *Baptismo* cap. 23. ita scribit: *Sunt multa, quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis bene praecepta creduntur, quamquam scripta non reperiantur*; et Epist. 164. alias 99. ad Evodium: *Si Ecclesia*, inquit, *fere tota consentiat, non inaniter eam credidisse credendum est, undecunque illud traditum sit, etiamsi canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas.*

CAPUT XIII.

De Judice controversiarum fidei. Ostenditur eum neque esse Scripturam sacram, neque Spiritum privatum, et multo minus rationem humanam.

§. CXIV.

Necessarius est aliquis divinae revelationis custos et interpres:

Postquam Deus caelestem doctrinam hominibus revelare dignatus est, ejus providentiae erat, ejusdem doctrinae custodem, atque interpretem aliquem constituere, ad cujus tribunal confugere fideles deberent, quotiescunque aliqua dubia, vel lites de ea moverentur; quemadmodum in bene ordinata Republica satis non est, leges esse constitutas, sed ulterius requiritur aliquis supremus Judex earundem custos, et interpres, et qui emergentes civium controversias sua auctoritate componere possit, et finire.

§. CXV.

Qui summa et infallibili polleat auctoritate.

Hoc tamen est inter rempublicam civilem, et revelatam religionem discrimen, quod in illa legum custos, et interpres, atque controversiarum judex summa quidem pollere debet auctoritate, non tamen infallibili; in religione autem, cum praeter externam confessionem, et obedientiam exigatur etiam internus animi assensus, revelationis interpres, et fidei controversiarum judex, non solum summam, sed etiam infallibilem a Deo auctoritatem habere debet, cui proinde fideles non exteriorem tantum obedientiam, sed interiorem etiam, et firmissimum praestare tenentur assensum.

§. CXVI.

Scriptura non est supremus controversiarum fidei Judex.

Porro omnium quae nos inter, et Acatholicos vigent controversiae, capitalis est ista, quisnam sit a Deo constitutus supremus revelationis interpres, et controversiarum judex. Acatholici in eo omnes conveniunt, ut scripturam sacram esse velint sui ipsius interpretem, et omnium controversiarum judicem.

§. CXVII.

Primo quia non est ubique perspicua.

Sed duplici ex capite falluntur. Primo quia scriptura non est ubique, et in omnibus adeo perspi-

ctta, ut sui ipsius interpres esse possit. Id de Epistolis S. Pauli testatur S. Petrus in sua II. Epistola cap. III. v. 16. inquiens: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et caeteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Id testantur etiam passim sancti Patres, qui propterea in illustrandis sacris litteris laboriosissimam operam navarunt: id denique vel ipsi adversarii, utut inviti fateri coguntur, dum perpetuo inter se dissident, et quidem in rebus gravissimis, de vero, et germano scripturarum sensu, easque propterea novis semper, ac novis commentariis explicare conantur. Ut quid autem tanto labore opus esset, si scriptura sacra esset *per se certissima, facillima, apertissima sui interpres*, quemadmodum Lutherus vanissime loquitur?

§. CXVIII.

Sed etiamsi scriptura sacra esset ubique perspicua, non tamen posset sola sufficere ad controversias omnes finiendas; idque propter litigantium perversitatem; quaelibet enim pars scripturam sacram suae sententiae patrocinari contendit, et propterea, quemadmodum in Republica civili praeter leges opus est supremo Judice, ita in Religione praeter scripturas sacras aliquis supremus esse Judex debet, qui determinet, quaenam sententia, iisdem scripturis consentiat, quaenam repugnet. Exemplum manifestum habemus in iis Christi verbis: *hoc est corpus meum*, de quorum sensu inter Catholicos, Calvinistas, et Lutheranos lites vigent immortales.

Secundo quia etsi esset clara, nondum tamen sufficeret ad lites finiendas.

§. CXIX.

Ex his etiam apparet, sacrarum Scripturarum interpretem esse non posse spiritum privatum, seu internam Spiritus sancti motionem, et illustrationem; quaelibet enim litigantium pars hanc internam Spiritus sancti assistentiam se habere praesumit, nec ulla certa nota assignari potest, qua dignoscatur, utrum haec Spiritus S. assistentia vera sit, non autem falso praesumpta, qua enim ratione poterit certo judicari, Spiritum S. potius adfuisse Luthero, quam Calvino, aut aliis in vera intelligentia eorum locorum S. Scripturae, de quorum sensu tanta est inter ipsos dissensio?

Neque etiam sufficit spiritus privatus.

§. CXX.

Multoque minus humana ratio.

Multoque minus audiendi sunt Sociniani, qui certam interpretandi Scripturam, et finiendarum controversiarum regulam in humana ratione constituunt; haec enim eorum regula evertit ipsam fidei notionem, quam tradit Apostolus ad Heb. XI. inquiens: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, quibus verbis insinuatur, fidei nostrae objectum esse mysteria, quae humanae rationis vim, et potestatem longe superant, quaeque proinde rationi subjici non possunt. Est quidem in religionis negotio suus rationi locus, cum videlicet ratio nobis proponit consideranda certa, et evidentia credibilitatis motiva; sed postquam constiterit, aliquid esse a Deo revelatum, tunc quasi extinguitur rationis lumen, et Deo revelanti omnino credere debemus, etiamsi illud, quod revelatum est, humanam superat rationem; atque hoc, et non alio sensu rationabile dicitur fidei nostrae obsequium.

§. CXXI.

Quomodo Scripturae, et Patrum loca, quae nobis adversari videntur sint intelligenda.

Otium nobis non est innumera propemodum Sacr. Litterarum et SS. Patrum loca expendere, quibus adversarii ostendere nituntur, vel scripturas sacras esse per se perspicuas, ut nullo interprete indigeant, vel spiritum uniuscujusque privatum ad id abunde sufficere. Generaliter tamen dici potest, Scripturas sacras esse perspicuas adjuncto magisterio Ecclesiae, cui ut mox videbimus, Deus earundem Scripturarum depositum, et interpretationem commisit; Spiritum autem privatum multum valere ad intelligentiam Scripturarum, si praeter debitam ad Deum orationem, et necessariam diligentiam in evolvenda traditione omnes Hermeneuticae artis regulas adhibeat: nunquam tamen eo pervenire posse, ut supremus, et infallibilis sit earundem Scripturarum interpres.

§. CXXII.

Quo sensu sacra Scriptura dicatur morum nostrorum norma, et judex.

Sic etiam explicanda sunt ea testimonia, quibus Scriptura sacra dicitur norma, lex, aut etiam judex nostrarum actionum, ut quando Christus Joan. XII. 48. dicebat: *Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*; nempe his omnibus

designatur, verbum divinum esse fidei, morumque regulam; cum quo tamen non pugnat, admittendum esse aliquem judicem vivum, et infallibilem, qui natas controversias dirimere possit. Et quando vel Christus, vel ejus exemplo sancti Patres in ejusmodi controversiis ad Scripturas provocant, nihil aliud intendunt, nisi aut pervicacibus ostendere, judicium Ecclesiae, cui subjici recusant, verbo Dei apprime congruere, aut fideles iis armis instruere, quibus cum Haereticis congredi valeant.

CAPUT XIV.

Demonstratur, admitti non posse in religionis negotio illam quorundam Acatholicorum tolerantiam, qua citra piaculum unicuique permittitur sentire, prout maluerit.

§. CXXIII.

Quid sit Tolerantismus, et quotuplex?

Non hic loquimur de illa tolerantia civili, mereque politica, qua Principes diversarum sectarum homines in suis ditionibus esse permittunt; sed de illa religiosa, et theologica, qua Heterodoxi ex suis principiis confiteri coguntur, homines cujuscumque sectae, quibus de illius veritate persuasum sit, salutem consequi posse. Hanc tolerantiam alii plus, alii minus extendunt; quamquam facile est videre, ea semel admissa, nullum amplius limitem figi posse, quod viri eruditi Isaacus Papinius, Petrus Coste, aliique plurimi observarunt.

§. CXXIV.

Refellitur Tolerantismus ex Scripturis.

Sed nullam prorsus in dogmatibus a Deo revelatis libertatem sentiendi admitti posse, Scripturae sacrae aperte insinuant; ut cum Paulus Ephes. IV. 4. dicebat: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*; et Philipp. II. 2. *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes*; et tandem ad Titum III. 10. *Haereticum hominem post unam, et secundam correptionem devita.*

§. CXXV.

Praecluditur Jurii effugium.

Nec valet effugium Petri Jurii, qui unitatem fidei a Scripturis commendatam coarctari vult ad articulos fundamentales; primo enim haec distinctio eo sensu, quo a Jurio sumitur, nova est, et antiquis Patribus incognita, a quibus sine ullo discrimine quilibet ab Ecclesia pertinaciter dissentiens tanquam haereticus condemnatur; unde illud pervulgatum SS. Cypriani, et Augustini: *habere non potest Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.* Praeterea nulla certa statui potest regula determinandi articulos fundamentales nostrae religionis; quomodo enim e. g. Jurius determinabit mysterium Trinitatis, aut Incarnationis esse articulum fundamentalem contra Socinianos, qui utrumque explodunt? Certe Remonstrantes invictis argumentis ostenderunt, Socinianos non minus, ac caeteros omnes ex principiis Protestantium esse tolerandos, nulla prorsus habita ratione articulorum fundamentalium, vel non fundamentalium, quos Jurius suo arbitratu distinxit.

§. CXXVI.

Proponitur objectio a quibusdam exemplis petita.

Nonnulla quidem Jurius collegit ex historia exempla, ut ostenderet, aliquos in fide errantes fuisse ab Ecclesia toleratos, ut Nazarenos, aliosque Judaizantes, Synesium etiam, quem, licet Semipaganum, Theophilus Alexandrinus ad Episcopatum evexit; ac demum nobis proponit exemplum Procli Constantinopolitani Episcopi, de quo haec habet Socrates lib. 7. *Hist. Eccl.* cap. 41. *Ipsi propositum erat parvi facere, si quis de Deo aliter quam ipse sentiret.*

§. CXXVII.

Et solvitur.

Sed primum exemplum non est ad rem; tolerati enim fuere observantes legalia, quando illa erant quidem mortua, sed non mortifera, ut post S. Augustinum explicat S. Thomas 1. 2. quaest. 103. art. 4. ad 1. quando autem legalia damnata fuere, nemini citra piaculum ea observare licebat, unde S. Hieronymus Epist. 112. al. 98. inquiebat: *quicunque ea observaverit, sive ex Judaeis, sive ex Gentilibus, eum in baratrum diaboli devolutum.* Quid

autem Synesius prave de religione sentiret, non est omnino perspectum, communiter tamen putatur, eum fuisse implicitum Origenianis erroribus eo tempore nondum damnatis. Caeterum, si vere fuisset Semipaganus, illius exemplum probaret, etiam Paganorum errores, qui certe sunt contra articulos fundamentales, tolerari in Ecclesia posse. Demum non desunt, qui contendant, Synesium non prius fuisse ad Episcopatum evectum, quam errores omnes ejuraret. Postremum exemplum Procli, ut colligitur ex eodem Socrate, est exemplum mansuetudinis pastoralis, qua non errores, sed potius errantes tolerabat, ut ita eos ad sanitatem reduceret.

§. CXXVIII.

Solvitur alia objectio ex S. Augustino.

Quae majorem hac in re difficultatem ingerere videntur, sunt haec S. Augustini verba Epist. 43. al. 162. ad Glorium: *Qui sententiam suam quamvis falsam, atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis, et in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos reputandi.* Verum manifestum est S. Patrem ibi loqui de iis, quos vocare solemus haereticos *materiales*, quorum nempe ignorantia invincibilis, atque inculpabilis est; non autem de iis, qui scienter Ecclesiae definitionibus resistunt, ab eaque se pertinaciter separant; praemiserat enim S. Doctor illam Apostoli sententiam: *haereticum hominem devita*, cujus nullus esset usus, posita illa, quam adversarii volunt religionis tolerantia: imo ratum, fixumque erat S. Augustino illud Cypriani principium: *Deum habere non potest Patrem, qui Ecclesiam non vult habere Matrem.*

§. CXXIX.

Nostra sententia inhumanitatis falso arguitur.

Sed durum aliquibus videtur, et inhumanum, infinitam propemodum hominum multitudinem ex eo condemnare, quod errore mentis, non voluntatis pravitate labantur. Et si Deus, addunt, nonnisi unam esse religionem voluisset, easdem omnibus de ea impressisset ideas, ut in Geometria, aliisque rebus evidentibus fecit. Sed qui ita ratiocinantur, a-

byssum divinorum judiciorum quasi perscrutari audent, quae tamen nonnisi humiliter adorare debemus; porro si ita colligere liceret, et peccatum originale, et aeternitas poenarum, et alia multa religionis dogmata impune negari possent; imo eousque tolerantia extendi deberet, ut salus aeterna vel ipsis Judaeis, Paganis, atque Atheis concederetur, dummodo errore mentis, non pravitate cordis se abripi testarentur; satius itaque est Scripturae sacrae, et antiquae Traditioni adhaerentes credere in sola vera Ecclesia salutem obtineri posse, quam rationi luxurianti habenas laxare, ut Dei judicia blasphemantes improbemus. Etsi autem Deum non talem voluit esse in religionis negotio evidentiam, qualis est in Geometria; tantam tamen esse voluit quanta sufficit ad hominem prudentem, suaeque salutis solicitum convincendum.

Scholion. Sancti Patres uti solent hac in re similitudine arcae Noe, ut quemadmodum in diluvio omnes, qui non erant in arca, perierunt, ita omnes in aeternum pereant, qui extra veram Ecclesiam sunt. Sicut autem illi, qui singulari Dei beneficio id consecuti sunt, ut veram Dei Ecclesiam noscere, in eaque vivere possint, Deo gratias agere debent; ita qui hoc beneficio privantur, conqueri non possunt, quia juste a Deo deseruntur in suorum peccatorum poenam, vel saltem propter culpam originalem: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Ps. CXVIII. *Ut discat liberatus a non liberato, quod sibi etiam supplicium conveniret, nisi gratia subveniret.* S. August. in celebri epist. ad Sixtum.

CAPUT XV.

Ostenditur Ecclesiam esse supremum, et infallibilem fidei morumque controversiarum Judicem.

§. CXXX.

Postquam superioribus duobus capitibus luculenter evicimus, supremum atque infallibilem verbi divini interpretem, ac proinde controversiarum fidei, mo-

rumque judicem neque Scripturam sacram esse, neque spiritum privatum aut humanam rationem; et ex altera parte tolerari non posse illam effrenem in religionis dogmatibus sentiendi licentiam, quae ex Acatholicorum principiis fluit, sequitur sponte sua, Ecclesiam solam tamquam divinae revelationis custodem, atque interpretem tutissimum, et infallibilem esse agnoscendam; id enim muneris tribuere potestati saeculari paucorum paradoxon fuit adeo absurdum, ut vel ab ipsis Heterodoxis rejiceretur. Sed antequam id demonstretur, quaedam de Ecclesiae notione praemittenda veniunt.

§. CXXXI.

De Ecclesiae nomine

Ecclesiae nomen si eo sensu consideretur, quo a classicis auctoribus sumitur 1. significat coetum hominum nulla habita ratione cultus Dei. 2. Sumitur pressius pro congregatione hominum Deum colentium, quo pacto etiam Synagoga vetus Ecclesia appellata est. 3. Denotare potest locum, in quo fideles congregantur ad publicum cultum Deo exhibendum. 4. Aliquando Ecclesia plurali numero enunciata significat diversas Episcoporum dioeceses, ut cum in sacris litteris sermo fit de Ecclesiis Judaeae, Samariae, Ciliciae, Galatiae etc. 5. Demum Ecclesia singulari numero enunciata omnes particulares Ecclesias complectitur, et illa est, de qua modo loquimur, et de qua in symbolo profitemur: *Credo in unam, sanctam Ecclesiam Catholicam, et Apostolicam.*

§. CXXXII.

Quid sit Ecclesia?

Ecclesia hoc postremo sensu usurpata definitur a Bellarmino lib.3. de *Ecclesia militante* cap.2. *Caetus hominum ejusdem Christianae fidei professione, et eorundem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis*; quae definitio Ecclesiam Christi exhibet in eo quo nunc est statu, et prout omnia membra sua complectitur.

§. CXXXIII.

Est visibilis.

Ex hac definitione facile apparet 1. Ecclesiam Christi visibilem esse, quod variis etiam scripturarum

locis confirmari potest, praecipue ex Epist. I. ad Timoth. III. 15. ubi Apostolus Timotheum alloquens, *ut scias*, inquit, *quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis.* Item Ephes. IV. 2. dicit, in Ecclesia datos esse a Christo *Pastores et Doctores ... in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.*

§. CXXXIV.

Divisio Ecclesiae in docentem, et discentem, praecipientem, et obtemperantem.

Ex allata definitione, sicuti etiam ex postremis verbis Apostoli liquet 2. non omnia membra Ecclesiae esse ejusdem ordinis, sed alios esse Pastores et Doctores, alios qui pasci, et doceri debeant; unde illa vulgaris divisio Ecclesiae in *docentem*, et *discentem*; item in *praecipientem*, quo nomine veniunt omnes, qui ecclesiasticam hierarchiam constituunt, et *obedientem*, quo significantur populi pastoribus obedientes.

§. CXXXV.

Quibus modis Ecclesia doceat.

Multipliciter autem Ecclesia suos fideles docet. 1. Cum toto orbe dispersa per suos pastores veram Christi doctrinam ubique conservat, errores que, si qui emergunt, communi omnium pastorum consensu condemnat, ac quasi suffocat; atque hoc modo nonnullas haereses sine conciliis suppressas novimus. 2. Quando ad definiendas difficiliores controversias Episcopi ex universo orbe in Synodos generales convocantur, ut ibi diligenti praemisso examine verus divini verbi vel scripti, vel traditi sensus determinetur. 3. Per supremum omnium caput Rom. Pontificem. 4. Denium per concilia Nationalia, aut Provincialia.

§. CXXXVI.

Quando per unanimem Pastorum consensum aliquid docet, falli non potest.

Jam vero, quando Ecclesia toto orbe dispersa communi pastorum consensu aliquod fidei dogma proponit, eam summa, et infallibili auctoritate pollere his momentis evincitur. 1. Ex variis promissionibus Christi Domini, qui perpetuo se Ecclesiae sponsae suae adstiturum pollicitus est, ut Matth. XXVIII. 19. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Item Joan. XIV. 16. *Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis,*

ut maneat vobiscum in aeternum spiritum veritatis. Huc etiam spectant illa Christi verba Matthaei XVI. 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; et illa denique I. ad Timoth. III. 14. *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis.* 2. Id etiam evincit Ecclesiae praxis, quae a sua communione alienos, atque haereticos esse semper pronunciavit, quotquot suis definitionibus de fide, et moribus contumaciter parere detrectarunt; quae tamen agendi ratio iniqua fuisset, si in suis definitionibus errare posset. 3. Id confirmat communis sanctorum Patrum sententia, quorum tamen nonnisi unum Augustinum brevitatis causa afferemus. Celebre est illius dictum contra *Epist. fund.* cap. 5. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas.* Et serm. 10. in Psalm. 103. explicans mox laudata Pauli verba, *ipsa* est Ecclesia, inquit, *praedestinata columna, et firmamentum veritatis*; ac deinde Lib. 10. *contra Cresconium* cap. 33. loquens de controversia circa baptismum Haereticorum, ad universae Ecclesiae judicium provocat, ac concludit: *Quisquis falli metuit hujus obscuritate quaestionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate scriptura ipsa demonstrat*

Scholion. Ex his, aliisque, quae brevitatis studio omittimus, patet, Ecclesiam non solum esse custodem sacrae Scripturae, quo pacto non distingueretur a Judaeis, quos lepide vocabat S. Augustinus *Scriniarios*, vel *Capsarios*, aut *Librarios* sacrorum codicum, sed etiam ejusdem interpretem infallibilem; ut enim inquiebat S. Hieronymus in cap. I. epist. ad Gal. putandum non est, *in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.*

§. CXXXVII.

Eadem infallibilitas competit Ecclesiae quando docet in conciliis generalibus.

Quamquam autem allata hactenus momenta solum videantur evincere, Ecclesiam toto orbe dispersam deficere omnino non posse, nec falli in rebus fidei, et morum, facile est tamen etiam ostendere, ean-

dem Ecclesiam falli non posse, quando per Episcopos in conciliis generalibus rite, ac legitime celebratis controversias fidei, morumque definit. Ac primum id ostenditur exemplo concilii Jerosolymitani, cujus definitiones ex peculiari Spiritus S. assistentia prodiisse in verbis illis luculenter indicatur: *Visum est Spiritui S. et nobis*. Act. XV. Neque vero quis regerat, id utique potuisse dicere Apostolos utpote a Spiritu S. omnem veritatem edoctos, ut nemo eorum falli posset, cum tamen Episcopi omnes errori obnoxii sint; non inquam; Apostoli enim, quemadmodum Patres Synodi V. OEcumenicae scite observarunt Act. 8., ut exemplum secuturis temporibus relinquerent, non aliter voluerunt de eo, quod movebatur, definire, priusquam communiter congregati, divinarum scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverit. Quamobrem exemplum Apostolorum secuta Ecclesia in difficilioribus religionis causis Synodos congregavit, erroresque natos anathemate confixit.

§. CXXXVIII.

Idem confirmatur primo.

Ulterius, concilia generalia rite, ac legitime celebrata universam repraesentant Ecclesiam, quemadmodum generalia comitia totam rempublicam; unde primum generale concilium Nicaenum Arianos condemnans hanc phrasim merito adhibuit: *eos anathematizat catholica, et Apostolica Ecclesia*; pro certo habens, assistentiam Spiritus S. universae Ecclesiae promissam etiam conciliis generalibus semper praesto esse.

§. CXXXIX.

Confirmatur secundo.

Accedit postremo hac de re Sanctorum Patrum, omniumque fidelium consensus, qui definitiones conciliorum generalium tamquam tutissimam, et divinam fidei, morumque regulam venerati sunt; unde merito S. Gregorius Magnus epist. 65. ad Theodoretum: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros*, inquiebat, *sic quatuor concilia* (Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, et Chalcedonense) *suscipere, et venerari me fateor*. Et ex história Ecclesiae notum est fideles pro defensione dogmatum, quae in istis conciliis fuerant definita, exilia, carceres, ac

ultimum supplicium fortiter tolerasse. Et haec apud omnes Catholicos certa sunt.

§. CXL.

Certum apud omnes non est, Pontifices Romanos esse infallibiles.

Sed non ita certum est, imo acerrime adhuc inter ipsos disputatur, an definitiones dogmaticae, quae ex ore Romanorum Pontificum prodeunt, nulli unquam possint esse errori obnoxiae; et post celebrem declarationem Cleri Gallicani in comitiis generalibus anni 1682. omnes Galli, et non pauci alii contendunt Pontificem falli posse; concedunt tamen in definitionibus fidei primas ejusdem ac praecipuas inter ceteros Episcopos esse partes, et gravissimam esse illius auctoritatem, quamvis non omnino infallibilem. Sed de Pontificis infallibilitate, ut dixi, salva fidei, et caritatis unitate inter Catholicos disputatur (*).

§. CXLI.

Concilia Nationalia, aut Provincialia errare possunt.

Conciliorum autem tam Nationalium, quam Provincialium auctoritatem gravem quidem esse, nemo negat, nemo tamen contendit, esse infallibilem, nisi universalis Ecclesiae consensu eorum definitiones confirmatae, ac corroboratae sint. Sic aliquarum Synodorum in Africa, et Synodi Arausicanae II. in Galliis definitiones contra Pelagianos, et Semipelagianos, ut certissima fidei dogmata habentur, postquam et a summis Pontificibus confirmatae, atque a tota Ecclesia approbatae fuerunt. Sed de his plura in Jure Ecclesiastico. Nunc, sin minus omnia, saltem quaedam, et potiora momenta excutienda sunt, quibus Heterodoxi infallibilem Ecclesiae, et Synodorum OEcumenicarum auctoritatem, qua maxime premuntur, convellere conantur.

§. CXLII.

Proponuntur quaedam difficultates, contra Ecclesiae infallibilem auctoritatem.

Quae contra supremam, et infallibilem Ecclesiae auctoritatem Heterodoxi objicere solent, haec potissimum sunt. 1. Nos arguunt *circuli vitiosi*, quod Ecclesiae auctoritatem ex Scripturis colligamus, et rursus Scripturarum auctoritatem, et legitimum sen-

(*) Vide sis Bossuetum *Defens. declar. Cleri Gall.* et Steph. Rautenstrauch, *Institut. Jur. Eccl. Sect. 2. cap. 3.*

sum ab Ecclesiae definitionibus repetamus. 2. Quod Ecclesia in propria causa sit judex. 3. Privari fideles potestate examinandi, quae ad propriam salutem pertinent, quae tamen potestas jure naturae ad unumquemque pertinet.

§. CXLIII.

Solvitur prima difficultas.

Prima tamen difficultas potest facile in ipsos adversarios retorqueri, qui regulam suam interpretandi Scripturas per se ipsas, ac per spiritum privatum ex iisdem Scripturis derivare conantur. Nos autem, quando ex sacris litteris Ecclesiae auctoritatem ostendimus, 1. iis libris utimur, quos canonicos esse etiam Adversarii fatentur, undecunque postea ipsorum divinitas desumatur. Deinde quando cum Heterodoxis disputamus, eorundem librorum sensum non ab Ecclesiae definitione, sed ex regulis Hermeneuticae eruimus. Demum supremam, et infallibilem Ecclesiae in judicando potestatem etiam illis argumentis demonstramus; praecipue ex perpetua praxi ab Apostolorum aevo usque ad haec nostra tempora; et ex necessitate talem judicem constituendi, alias nullus esset controversiarum finiendarum modus.

§. CXLIV.

Solvitur secunda.

Mirum autem non est, si Ecclesia Spiritus S. assistentiae confidens in propria causa judicet, quandoquidem nullum est superius tribunal, ad quod controversiae deferri queant. Sic Principes summi etiam faciunt; imo sic fecit ipse Christus, nec similem Pharisaeorum objectionem tenuit, sed ipsis respondebat Jo. VIII. *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.*

§. CXLV.

Solvitur tertia.

Quando vero jure naturae sibi vindicare nituntur Adversarii facultatem res fidei examinandi, etiam atque etiam considerare deberent, an iis praesidiis instructi sint, quibus possint id tuto, et sine erroris periculo facere. Sane aegrotus male sibi consuleret, si medicinae imperitus vellet de suo morbo contra Medicum judicare, quia jure naturae debet quilibet suam corporis valetudinem procurare. Quid? quod ipsi Adversarii velint nolint, fateri coguntur,

hanc examinis viam esse maximae hominum parti impossibilem; et paucissimis demptis omnes fere apud ipsos fidei dogmata sine examine, ex sola suorum Pastorum auctoritate credunt. Quanto melius facerent, si cum Catholicis Ecclesiae sese auctoritati committerent?

§. CXLVI.

Solvitur alia difficultas Ministri Claudii.

Aliam difficultatem proponebat Minister Claudius, quam insolubilem esse jactabat, videlicet, si Ecclesiae credere, et obedire oportet, culpari non posse Judaeos, qui Synagogae obtemperantes Christum occiderunt. Hanc tamen difficultatem ita expediebat Bossuetus: debuisse Judaeos potius Christo obedire, quam Synagogae, cum tot signis, atque prodigiis luculenter demonstrasset, se esse Messiam in lege promissum, quo adveniente Synagoga deficere debebat. Si similis casus occurreret, addebat Bossuetus, quo Deus per semetipsum loqueretur, ut tunc locutus est, certe ei auscultandum esset, et non alteri; sed id numquam futurum scimus, cum Ecclesiam fore perpetuam, promissum sit, eique tota revelatio facta fuerit.

§. CXLVII.

Objectiones contra Conciliorum infallibilitatem.

Contra infallibilem conciliorum generalium auctoritatem duo potissimum objici solent. 1. Celebre S. Augustini testimonium; qui lib. 2. *de Bapt.* cap. 3. dicit: *Concilia plenaria, quae fiunt ex universo orbe christiano, saepe priora a posterioribus emendari.* 2. Plura Concilia oecumenica turpiter errasse, ut Ariminense, et Seleuciense anno 359. Ephesinum II. an. 449. duo Constantinopolitana annis 861. et 879. etc.

§. CXLVIII.

Solvitur prima ex S. Augustino.

Negari nequit haec S. Doctoris verba non levem ingerere difficultatem, quamvis de illius doctrina nos dubitare non sinant ea, quae de Conciliorum suprema, et infallibili auctoritate passim in sui libris docuit, praecipue contra Donatistas: ut enim caetera omittam, lib. I. cap. 18. Cyprianum in causa Anabaptismi sine dubio cessurum fuisse affirmat, *si jam, illo tempore quaestionis hujus veritas eliquata, et*

declarata per plenarium Concilium fuisset. Ne igitur S. Pater non solum doctrinae Ecclesiae, sed sibimetipsi repugnet, dicendum erit, eum in loco objecto nomine *plenarii Concilii* non intellexisse Synodos vere oecumenicas, sed alias quae usitato apud Afros more *plenariae* vocabantur, erant tamen oecumenicis inferiores. Id patet ex particula illa *Saepe*, quae inepte fuisset apposita, si de oecumenicis Synodis sermo esset, cum aetate S. Augustini nonnisi duae, aut ad summum tres celebratae fuissent, et eae numquam a posterioribus emendatae.

§. CXLIX.

Solvitur alia difficultas.

Facilius expeditur alia difficultas; constat enim laudata Concilia fuisse ab Ecclesia reprobata, tamquam illegitime celebrata; quod ex ipsorum historia perspicue patet

CAPUT XVI.

An Ecclesia in iis, quae ad fidei, morumque dogmata non pertinent, definiendis sit infallibilis?

§. CL.

Illud tamquam fundamentum est supponendum, omnia, quae ad fidem pertinent, Apostolis fuisse revelata, ab iis autem Ecclesiae Pastoribus commendata, sive scripto in sacris litteris, sive ore per traditionem, et nihil ex eo tempore Ecclesiae de novo revelari: unde fluit, Ecclesiam nonnisi in iis definitionibus esse infallibilem, in quibus infallibilis divinae revelationis fax ipsi praelucet. Ac propterea Tridentini Patres sess. IV. postquam Sacrorum Librorum utriusque Testamenti et Traditionum auctoritatem confirmassent, ita concludunt: *Omnes itaque intelligant . . . quibus potissimum testimoniis, ac praesidiis in confirmandis dogmatibus fidei, et instaurandis in Ecclesia moribus* (Synodus) *sit usura.*

§. CLI.

Ecclesia non est infallibilis in quaestionibus philosophicis, aut puri facti.

Jam vero hinc sequitur, 1. Ecclesiae definitiones in quaestionibus philosophicis infallibiles non esse,

quia hujusmodi veritates Deo revelare non placuit. II. neque infallibiles esse in factis pure personalibus, quorum nulla est, neque in sacris litteris mentio, neque in traditione. *Conveniunt omnes*, inquit Bellarminus lib. 4. *Rom. Pont.* cap. 1. *Catholici, et Haeretici . . . posse Pontificem, etiam ut Pontificem, et cum suo caetu consiliariorum, vel cum generali concilio errare in controversiis facti particularibus, quae ex informatione, testimoniisque hominum praecipue pendent.* Aliud dicendum de factis revelatis, et in Scriptura contentis, ex. gr. quod Christus Dominus natus sit in Bethlcem, adoratus a Magis etc. vel etiam ex traditione constantibus, ut canonicos libros fuisse a scriptoribus ἁγιογράφοις exaratos, S. Petrum fuisse Romanorum Episcopum, etc.

§. CLII.

An sit infallibilis in factis, quae appellantur dogmatica, disputatur.

Sed quaestio est, non ita pridem magno animorum aestu agitata, et nondum composita, An Ecclesia in quibusdam factis, quae *dogmatica* dicuntur, sit infallibilis. Porro *factum dogmaticum* illud vocant, quod est cum doctrina conjunctum; ex. gr. an Jansenii liber, qui *Augustinus* inscribitur, quinque famosas propositiones contineat, ab Innocentio X. condemnatas, quod ab omnibus tenendum Alexander VII. mandavit. Affirmativam sententiam magna Theologorum phalanx saec. mox elapso adoptavit, strenueque defendit: quamquam qua fide factum dogmaticum credendum sit, an scilicet divina, vel ecclesiastica tantum, inter se non omnino consentiant. Alii contra, recentem hanc esse doctrinam contendunt, majoribus nostris ignotam, qui sine ulla distinctione Ecclesiam in omnibus factis errare posse docuerunt (*).

§. CLIII.

Quo sensu dici possit, Ecclesiam falli non posse in rebus ad disciplinam spectantibus.

Multa in conciliis generalibus definiri solent ad disciplinam pertinentia, in quibus etiam pro certo habeo, numquam contingere posse, ut aliquid statuatur Dei legi, et Evangelio contrarium. Nam istas

---

(*) Vid. Lamindus Pritanius *de ingeniorum moder. in Rel. negotio.* lib. 1. c. 19.

definitiones non sine speciali Spiritus S. assistentia fieri, colligitur ex decreto concilii Jerosolymitani: verba quippe illa: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis*, non minus doctrinam spectant, qua statutum fuit, Legalium vim nullam amplius esse; quam disciplinam, qua Gentilibus ad fidem conversis praeceptum est, ut a sanguine, et suffocato abstinerent. Ulterius, axioma est theologicum, *Deum non deesse Ecclesiae suae in necessariis*, cujusmodi certe est exterior disciplina. Hoc tamen inter fidem, et disciplinam interest, quod prima est immutabilis, altera vero mutabilis, quatenus potest contingere, unam eandemque disciplinam non omnibus locis, temporibusque convenire.

§. CLIV.

An Ecclesia falli possit in *beatificatione* Sanctorum?

Haud levis momenti esse videtur alia quaestio, quae inter Theologos agitatur, an Ecclesia errare possit in *beatificatione* et *canonizatione* Sanctorum? Et in *beatificatione* quidem res pene certa videtur, Ecclesiae judicium non esse omnino infallibile, quia ut Benedictus XIV. recte notavit Lib. I. de Serv. Dei beatif. cap. 42. hujusmodi judicium non est *praecipiens*, sed solum *permittens* cultum illius, qui inter beatos refertur; et insuper quia hujusmodi cultus non extenditur ad totam Ecclesiam, sed ad aliquam tantum provinciam, civitatem, aut religiosam familiam.

§. CLV.

An in solemni *canonizatione*?

Major difficultas est, ubi agitur de Sanctorum canonizatione, quam data opera tractat S. Thomas quodl. 7. quaest. 7. art. 16. et postquam dixisset, Ecclesiam errare non posse in iis, quae ad fidem pertinent, errare tamen posse in iis, quae pertinent ad particularia facta, ita concludit: *Canonizatio sanctorum medium est inter haec duo; quia tamen honor, quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiae errare possit.* Ubi etiam contraria quaedam argumenta sibi opponit, et diluit; confugiendo praecipue ad Spiritus S. assistentiam, quae Ecclesiae non deest in re tam necessaria. Huic sententiae subscri-

bit magna Theologorum, et Canonistarum cohors, quos longo ordine recenset Bened. XIV. loc. cit. cap. 43. Inter eos est Melchior Canus, qui lib. 5. de loc. Theol. cap. 5. concl. 3. ita loquitur. *Multum refert ad communes Ecclesiae mores scire, quos debeas religione colere; quare si in illis erraret Ecclesia, in moribus quoque graviter falleretur; nec differt, diabolum colas, an hominem condemnatum etc.* Id autem et ipse repetit ex peculiari Spiritus S. assistentia in re tanti momenti: *cujus peculiarissimae providentiae*, addit, *abunde magnum argumentum est, quod numquam infirmata est fides ab humanis testibus in hujusmodi judiciis suscepta; quod in casibus civilibus saepe accidit.* Non pauci tamen, nec ignobiles Theologi Ecclesiam in solemni Sanctorum *canonizatione* non minus quam in *beatificatione* errori esse obnoxiam credunt.

§. CLVI.

Quamquam Ecclesiam in hac re falli non posse dicatur, non tamen id pertinet ad fidem.

Jam vero inter eos ipsos, qui statuunt Ecclesiam in *canonizatione* Sanctorum ita Spiritu S. regi, ut numquam erret, aut errare possit, quaestio excitatur, an de fide sit, hominem canonizatum reipsa esse in coelo cum sanctis regnantem; cui quaestioni ita respondet Sylvius tom. 5. controv. lib. 4. quaest. 2. art. 14. *Qua certitudine sit tenendum, Pontificem, et Ecclesiam non posse in canonizatione sanctorum errare, non prorsus liquet.* Et reipsa Theologi inter se minime consentiunt. Joannes a Sanct. Thoma in 2. 2. Sanct. Thom. disp. 9. art. 2. eam sententiam propugnat, quam *mediam* appellat; scilicet *Papam errare non posse in canonizatione sanctorum, et esse dignum censura, qui oppositum diceret, non tamen esse haereticum*: quod Sanct. Thomae doctrinae consentaneum videtur, qui ut mox vidimus, dicit, *hoc pie credendum esse*; et 2. 2. quaest. I. art. I. docet, fidem non assentiri nisi rebus a Deo revelatis; at vero nullibi revelatum est, hunc vel illum hominem caelesti beatitudine perfrui. Quae sententia eo magis confirmatur, quod nulla hactenus hac in re prodierit Ecclesiae definitio, ut haereticos damnans, qui negarent, sanctos solemniter *canonizatos* in coelis regnare. Et quamquam in Bullis *canonizationis* nonnumquam anathema dicatur

iis, qui fuerint refragati, ut in ea, qua Joannes XV. in Concilio Lateran. beatum Udalricum solemniter sanctorum catalogo adscripsit, haec tamen poena, licet gravissima, non in solos haereticos, sed etiam in alios, qui in rebus gravioribus, ut ista est, pertinaciter resistunt, ferri potest, ut plurimis exemplis est manifestum; unde concludimus cum Melch. Cano: *Qui fidem in his Ecclesiae detrahunt, eos non haereticos quidem, sed temerarios, impudentes et irreligiosos esse credimus.*

§. CLVII.

Sententia Lud. Muratorii.

Caeterum hac in re legi meretur doctus juxta, ac pius Lud. Muratorius, qui in lib. I. *de ingen. moderat. in relig. negotio* cap. 17. ostendit, etiamsi Rom. Pontifices, aut Ecclesiam totam errare contingeret, dum sanctorum albo adscribunt aliquem, qui in inferno cruciaretur cum diabolo, non propterea consequi, ut aliqui timere videntur, Ecclesiam ludibrio exponendam, et spiritibus tartareis irridendam esse; praerogativa enim Ecclesiae, ut bene ille observat, sita est *non in immunitate ab omnibus erroribus, sed ab erroribus, in doctrina Christi et factis per Apostolorum calamum, aut vocem traditis*; in aliis sine dedecore, et sine detrimento errare posse variis exemplis ostendit; ac tandem non invitus concedit, eam nunc adhiberi in hoc negotio diligentiam, ut pie credi possit, Ecclesiam numquam errare.

§. CLVIII.

Distingui debet definitio a dogmate definito.

Antequam manum a tabula amoveamus, pauca adhuc pro majori dictorum luce addenda sunt. Primo distingui debet definitio Ecclesiae a dogmate definito. Hoc in scripturis, vel traditione continetur, et obscurari quidem potest, ut a plurimis ignoretur, sed integrum semper subsistit. Sed definitio potest aliquando non esse, et postea ab Ecclesia fieri pro temporum opportunitate; et multi sunt religionis nostrae articuli, qui semper revelati fuere, sed non semper ab Ecclesia definiti.

§. CLIX.

Definitio ignorari quandoque potest.

Secundo contingere potest, Ecclesiae definitionem ignorari, quamquam articulus definitus non ignoretur. Testis hujus rei sit S. Hilarius, qui certe numquam ignoravit dogma Divinitatis Christi Jesu, nec de eo unquam dubitavit, fatetur tamen in libro *de Synodis* num. 95. se Nicaenae synodi definitionem nonnisi tunc audivisse, quando Arianorum potentia fuit in exilium pulsus. Imo, ut Bellarminus recte observat Lib. II. *de conciliis* cap. IX. concilium aliquod fuisse generale, et hoc, vel illud dogma fidei definivisse, non est certum, nisi certitudine evidentiae respectu eorum, qui praesentes concilio adsunt, respectu autem aliorum certitudine historica, sed evidenti, quemadmodum certum est, fuisse quondam consulem Ciceronem, Julium Caesarem Dictatorem etc. (vid. etiam Canus Lib. VI. de *locis theol.* cap. ult. in solut. 10. argum.). Haec etiam definitio Ecclesiae potest aliquando obscurari, ut notat Sylvius (*).

§. CLX.

Patres sunt in conciliis simul testes et judices doctrinae.

Tertio est etiam illud observandum, Patres in conciliis generalibus esse simul et testes doctrinae fidei, et judices. Testes sunt, quia eam doctrinam definiunt, quam ipsi ab Ecclesia catholica didicerunt; ac propterea testantur, hanc esse Ecclesiae catholicae fidem. Judices etiam sunt, quia, ut inquit Mel-

---

(*) Verba Sylvii in comment. ad 2. 2. S. Thomae Quaest. 1. art. 7. haec sunt: *Ecclesia, quando vel definit, vel credendum proponit aliquod dogma fidei, non condit articulum omnino novum; sed partim declarat, quod vel in Scriptura, vel in Apostol. Traditionibus contineatur, quomodo antea non credebatur explicite, quia illud dogma nondum erat erutum e principiis, neque constabat, an contineretur in Scriptura, vel Traditionibus. Erat quidem fidei, priusquam definiretur ab Ecclesia; et consequenter oppositum tenentes jam tum errabant in fide; sed inculpabiliter, quia non errabant in fide definita, et declarata. Nam Ecclesia vel nondum proposuerat illud dogma, tamquam fide catholica tenendum, aut si forte proposuerat, e plerorumque memoria exciderat, ut de eo non sufficienter constaret fidelibus.*

chior Canus Lib. V. *de loc. theol.* cap. V. *non Romanus Episcopus modo, verum reliqui etiam Episcopi claves regni caelestis habent: ergo in causa fidei ligandi quoque, ac solvendi potestatem. Visum est, inquiunt, Spiritui Sancto, et nobis*, etc. Act. XV. 28. et seq. *Omnes ergo Episcopi onus, praeceptumque imponunt, omnesque simul sententiae synodalis auctores sunt.* Imo supra idem Melchior Canus cap. 3. ex quo Episcopi sunt in Synodis veri Judices, recte intulerat contra Lutheranos, solos Episcopos, non autem Laicos, utut sacrarum Litterarum peritos, esse ad concilium vocandos.

§. CLXI.

Ut aliquid sit articulus fidei, expressa definitio non requiritur.

Quarto. Ut aliquid sit fidei articulus, non semper requiritur expressa alicujus Concilii generalis, vel Pontificis definitio, sed sufficit etiam universalis Ecclesiae consensus, illud tamquam fidei dogma credentis. Ita doctissimus Franc. Veronius in sua *regula fidei catholicae* (*) cap. I. §. I. inquiens: *Illud omne, et solum est de fide catholica, quod est revelatum in verbo Dei, et propositum omnibus ab Ecclesia catholica fide divina credendum. Neque refert, an illa propositio emanet ex concilio aliquo universali, ex ejus decreto, et definitione, an ex sensu fidelium omnium. Complectitur haec regula verbum Dei; nam fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi*, Rom. X. 17. *complectitur et Ecclesiam docentem in concilio catholico, hoc est universali, expresse aliquid definientem aut enunciantem, vel ex sensu omnium tum Pastorum, tum fidelium velut practice eloquentem .... Consentiunt omnes Synodi, Patres, Theologi in hac regula statuenda.*

§. CLXII.

Ex laudata regula colligit Veronius, *nullam doctrinam fundatam in verbo Dei, seu scriptura, diversimode exposita a sanctis Patribus, aut Doctoribus nostris, esse doctrinam fidei*; primo quia

(*) Quam adoptarunt, et ediderunt Fratres de Wallemburch ad calcem Tom. II. *de cont. fidei.* Agrippinae 1670.

non constat esse revelatam; secundo, quia talis expositio non proponitur ab universali Ecclesia, hoc ipso, quod varie a variis exponatur.

§. CLXIII.

Solae definitiones Conciliorum pertinent ad fidem.

Nec illud demum omittendum est, quod recte observavit Melchior Canus (lib. V. *de loc. theol.* cap. V. quaest. 4.) nimirum, quae *in Conciliorum, vel Pontificum decretis vel explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni respondeatur, vel etiam obiter, et in transcursu praeter institutum praecipuum, de quo erat potissimum controversia, ea non pertinent ad fidem, hoc est, non sunt catholicae fidei judicia.* Quod eruditus Theologus nonnullis exemplis declarat.

§. CLXIV.

De oeconomia, et analysi Fidei.

De oeconomia, et analysi fidei copiose praecipere solent Scholastici, sed si inutiles controversias, vel vanas logomachias declinare volumus, ita breviter ex hactenus disputatis nostrae fidei resolutio fieri potest. Primo credimus, aliquam a Deo factam esse revelationem, religionemque supernaturalem fundatam, quae in Vet. Testamenti libris continetur. Inter alia autem, quae in divinis illis libris inveniuntur, potissimum considerari debent, quae pertinent ad promissum Messiam, seu humani generis Reparatorem. Credimus secundo, hunc Messiam advenisse et esse Jesum Christum, nostrae Religionis fundatorem; divinam insuper, et infallibilem esse ejus doctrinam in libris sacris N. T., aut in S. S. Patrum traditione contentam, adeoque christianam religionem esse veram. Tertiò in religione ab ipso fundata aliquod esse debere supremum controversiarum tribunal, ne scilicet tot introducantur sectae quot capita, hoc autem tribunal nullibi esse posse nisi in Ecclesia. Quarto Ecclesiam proinde indefectibilem esse, et in definiendis fidei morumque dogmatibus infallibilem. Hinc postremo inferimus in sola Romana Ecclesia veram Christi Religionem conservari; cum enim omnes aliae sectae recentiores sint, et ab Ecclesia se separaverint, si illae verae essent, sequeretur Ecclesiam aliquando defecisse.

§. CLXV.

Quodnam in hac analysi sit ultimum motivum credendi?

Haec facilis est, et aperta fidei nostrae analysis, veluti in genere. Sed ulterius Theologi quaerunt, quaenam sit illa ratio, vel motivum, quo ultimo pertmovemur ad aliquem fidei articulum determinate credendum, ex. gr. tres esse divinas personas, seu ut scholae terminis utamur, quodnam sit *objectum formale* fidei nostrae.

§. CLXVI.

Jam vero hic est, ni fallor, fidei nostrae ordo. Deum esse trinum in personis credimus, quia id nobis Deus ipse verbo suo, et scripto, et tradito revelavit; ideo autem id verbo Dei scripto, et tradito revelatum esse certo credimus, quia id Ecclesia testatur, et ab omnibus credendum sub anathematis poena proponit. Idem demum Ecclesiae proponenti, et definienti assentimur, quia certis et manifestissimis argumentis Ecclesiam esse infallibilem et Spiritus S. assistentia continuo regi cognoscimus. Haec autem argumenta, quae etiam vocari solent *credibilitatis motiva*, non solum ex sacris Litteris deprompta sunt, verum etiam aliunde comparata, ita ut etiamsi nullae sacrae Litterae extarent, adhuc tamen supremam, et infallibilem judicandi potestatem in Ecclesia agnoscere deberemus. Ex quibus patet, ultimam fidei resolutionem et in Verbum Dei fieri, et in Ecclesiam. In Verbum Dei, tamquam in veram, et formalem causam assensus; neque enim Deum esse trinum crederemus, nisi hoc Deus revelasset; in Auctoritatem vero Ecclesiae, tamquam in regulam vivam, vel judicem, qui nos de revelatione divina certos reddit. Sed aliqua ratione nostra fides resolvitur etiam in motiva credibilitatis, *dispositive*, ut Theologi loquuntur, quia per haec certi reddimur, Ecclesiam perpetua Spiritus S. ope, et assistentia fulciri, ne fallatur.

CAPUT XVII.

De Tesseris, seu *Symbolis Fidei.*

§. CLXVII.

Postquam de divinae Revelationis existentia tam in sacris Litteris, quam in Traditione dictum est; tum de ejus custode, interprete, et judice Ecclesia, restat, ut de *fidei tesseris* pauca addamus. Hae autem sunt *Symbola*, quibus praecipua nostrae Religionis capita continentur. Symbolum enim, inquit S. Maximus Taurinensis (in Hom. in Symbolum) *est tessera, et signaculum, quo inter fideles, perfidosque discernitur*. Porro instituti nostri ratio non sinit, ut de singulis, quae vel a Patribus, vel in Ecclesiis particularibus confecta sunt Symbola, disseramus; aliqua dumtaxat de iis dicemus, quae fidelibus in tota Ecclesia usui sunt, et publica pollent auctoritate; unde etiam *Oecumenica* appellari solent. **Symbolum quid?**

§. CLXVIII.

Hujus autem generis tria in Ecclesia distinguuntur Symbola. Primum illud est, quod in quotidianis precibus a fidelibus recitari solet, et dicitur *Apostolorum*, quod Apostolos habere Auctores creditur. *Tradunt majores nostri* (inquit Ruffinus *in praefat. exposit. Symboli*), *quod* (Apostoli) *discessuri ab invicem normam sibi prius futurae praedicationis in communi constituerunt . . . omnes igitur in uno positi, et Spiritu S. repleti breve istud futurae sibi, ut diximus, praedicationis indicium, in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt*. Id ipsum confirmatur auctoritate S. S. Ambrosii, Hieronymi, Coelestini R. P., Leonis Magni, Maximi Taurin. aliorumque; immo et Synodus Ephesina (in relatione ad Theodosium de Nestorii depositione) *Fides*, inquit, *initio quidem a Sanctis Apostolis tradita, postea vero a* 318. *Patribus in Metropoli Nicaena exposita* etc. His, aliisque testimoniis ausos esse quosdam intemperantiores criticos refragari, eo magis mirandum, quod **Symbolum Apostolorum.**

nonnisi leves conjecturas ad evertendam vetustam hanc traditionem afferre soleant. Hoc Symbolum tenebantur fideles memoriae mandare, ut liquet ex S. Cyrillo *Catech.* V. nec non pluribus antiquis canonibus, ac sanctis Patribus, quos citat P. Toutteus in not. ad n. ult. laud. S. Cyrilli Catech. Hac de causa oriri potuerunt tot illae hujus Symboli variationes, quas post Vossium, et Ceillierium exhibet P. Jo. de Rubeis in *dissert. variae erudit.*; quamvis hujus rei aliae etiam causae fuerunt, novae scilicet exortae haereses.

§. CLXIX.

II. Symbolum Nicaenum, aut Constantinopolitanum.

Alterum Symbolum est *Nicaenum*, vel *Constantinopolitanum*, quod ab Apostolorum symbolo non differt nisi in paucis, quorum aliqua in concilio Nicaeno contra Arii blasphemias, alia vero in concilio Constantinopolitano I. seu generali II. ad condemnandam Macedonii haeresim addita fuere; et illud est, quod a sacerdotibus in Missa recitari solet.

§. CLXX.

III. Vulgo Athanasianum.

Tertium denique est illud, quod incipit *Quicunque*, et vulgo *Athanasianum* audit, quod communis olim opinio esset, illius auctorem fuisse S. Athanasium. Huic autem communi opinioni sese opposuit magna recentium Criticorum cohors, qui tamen inter se vehementer dissentiunt, cum de illius Symboli auctore determinando agitur. Alii enim Eusebio Vercellensi illud tribuunt; alii Vincentio Lirinensi; alii Venantio Fortunato; alii Anastasio Synaitae; alii Athanasio Spirensi; alii Hilario Pictaviensi; alii Anastasio I. Rom. Pont.; sed omnium probabilior videtur Paschasii Quesnelli opinio, qui (*dissert.* XIV. in opp. S. Leonis) hoc Symbolum Vigilio Tapsensi adscribendum esse censuit; cui opinioni Natalis Alexander cum pluribus eruditis suffragatur. Quisquis tamen sit illius auctor, hoc Symbolum veram Ecclesiae doctrinam praecipue de Trinitatis, et Incarnationis mysteriis continet, magnamque habet apud fideles omnes auctoritatem, ne Graecis quidem exceptis, qui solum particulam *Filioque*, ubi de Spiritus S. processione sermo est, expungunt.

§. CLXXI.

De nonnullis aliis Symbolis.

Praeter haec tria Symbola omnibus fidelibus notissima, nonnulla alia sunt publica auctoritate comprobata, nimirum Lateranense conditum in concilio Lateran. an. 1215. Viennense in concilio celebrato Viennae Allobrogum an. 1311. Professio fidei seu instructio pro Armenis facta ab Eugenio IV. statim post absolutam Synodum Florentinam; ac demum celebris professio fidei edita a Pio IV. post concilium Trident. an. 1564. quam emittere tenentur, quotquot ad beneficia ecclesiastica aut ad publicum docendi munus assumuntur.

§. CLXXII.

De Symbolis Heterodoxorum.

Heterodoxi sua etiam *Symbola* seu formulas, et quidem plures habent, inter quas admodum celebris est illa nuncupata *Formula concordiae* a Lutheranis edita, quae innumeras discordias peperit, adeo, ut non inepte Rud. Hospinianus suo libro, quo eam impugnavit, titulum fecerit *Concordia discors*, et in ea refutanda non solum Catholici, et Calvinistae, sed nonnulli etiam ex ipsis Lutheranis operam non indiligentem navaverint. Inter Catholicos, qui hanc formulam refutarunt, eminent, Card. Bellarminus in *Judicio de libro, quem Lutherani vocant Concordiae*, Lindanus in *Concordia discordi*, Greg. de Valentia in *disput. contra fundam. duarum sectarum*, et alii. Calvinistae etiam sua Symbola habent, immo quaelibet Haereticorum sectae, quamquam id mirum videri debeat; sublato enim supremo Ecclesiae judicio fallere, et falli nescio, nulla certa apud eos esse potest regula, qua articuli fidei in uno velut corpore colligantur, quod omnes pro tessera, et Symbolo habeant, quod alias est a nobis observatum.

CAPUT XVIII.

Quid sit Theologia, et quae ejus divisiones?

§. CLXXIII.

Veritates revelatae in multis, et variis libris continentur.

Revelatio divina, quam in genuinis, ac canonicis veteris, novique Testamenti libris, nec non in divinis, et apostolicis Traditionibus contineri ostendimus, complectitur omnes veritates ad salutem obtinendam necessarias, sed variis in locis dispersas, prout nempe eas Spiritus Sanctus variis Scriptoribus θεοπνευστοις, variisque occasionibus, et temporibus dictare voluit, et prout etiam Sancti Patres Traditionis custodes, et testes easdem pro diversis enatis rerum circumstantiis scripto consignarunt.

§. CLXXIV.

Neque unius generis sunt.

Istae Insuper veritates non eodem modo nos in via salutis dirigunt; aliae namque sunt omnibus scitu necessariae, et nos *proxime*, et *immediate* ad ipsam salutem dirigunt, ut sunt mysteria, et praecepta; aliae vero *remote* tantum, et *mediate*, ut historiae in veteri, novoque Testamento contentae, quae ignorari sine salutis dispendio praesertim a rudioribus possunt, quamquam in iis multa contineantur, quae ad nostram aedificationem, et exemplum admodum utilia sunt. Hae tamen omnes veritates, utpote a Deo revelante, aut inspirante conscriptae, implicite saltem ab omnibus credi debent.

§. CLXXV.

Hinc ortus, et necessitas Theologiae, quae has veritates in unum corpus colligeret.

Haec cum ita essent, non solum utile, sed necessarium plane videbatur, ea, quae nos *proxime* ad salutem dirigunt, simul colligere, atque in ordinem certa methodo redigere; unde Theologiae ortus, ac progressus, nec non necessitas apparent; de quibus tamen satis actum est in *Historia Theologiae litteraria*. Et si nulli unquam fuissent perversi homines, qui has veritates corrumperent, breves suffecissent Catecheseon libri: nunc vero cum omnia ferme Religionis nostrae dogmata fuerint ab Haereticis vel omnino negata, vel saltem graviter corrupta, et Hae-

reses istae aut nondum penitus sint exstirpatae, aut iterum ab orco revocari possint, ut tristis rerum experientia nos docet, hinc apparet, necessariam esse Theologiam, qua eadem dogmata non exponantur solum, sed omni argumentorum genere confirmentur, atque ab Haereticorum cavillationibus vindicentur.

§. CLXXVI.

Quid Theologia sit, ejusque divisio in dogmaticam, et moralem.

Est igitur Theologia, si rem ipsam spectes, *Scientia veritatum a Deo revelatarum*. Et cum istarum veritatum aliquae ad solam cognitionem, vel fidem spectent, aliae vero ad actionem, et praxim ordinentur, inde nata est prima divisio Theologiae in *dogmaticam*, et *moralem*, quorum prior in fidei dogmatibus tradendis, et confirmandis tota occupatur; altera in exponendis regulis, et praeceptis morum.

§. CLXXVII.

Tum in polemicam, et scholasticam.

Quae *dogmatica* Theologia dicta est, appellatur etiam *polemica*, quando quasi bello cum Haereticis suscepto eorum tela contra nostrae Religionis dogmata fidei umbone repellit, atque ejusdem fidei armis ipsorum errores confodit; ac demum *scholastica* audit, quando ex principiis revelatis conclusiones deducit ad fidei dogmata illustranda. Porro haec Theologia scholastica sua non caret utilitate, quando sobrie, ac temperanter tractatur; est autem inutilis, immo quandoque noxia, cum rationi, et curiositati habenae laxantur; ut enim scite inquiebat S. Basilius Magnus epist. 258. *Scientes ubi simplicitatem fidei semel sustulerimus, nullum jam sermonum finem nos esse inventuros; contradictione nos semper ulterius abripiente, et simpliciorum animos conturbaturos novis rebus introducendis.*

§. CLXXVIII.

Ac denique in Pastoralem.

Theologiae etiam *moralis* aliqua pars est, quae proprio nomine *Pastoralis* dicitur, quae nempe regulas tradit, quibus Pastores animarum in suis muniis rite fungendis dirigantur.

CAPUT XIX.

De variis Propositionum generibus, quas Theologia dogmatica complectitur.

§. CLXXIX.

Aliquid pertinet ad fidem directe, vel indirecte.

Ex tradita mox (§. 176.) Theologiae dogmaticae notione, liquet eam nonnisi veritates a Deo revelatas complecti. Hae autem non unius generis sunt; quaedam enim ad fidem *directe*, ac *per se* pertinent, quae nempe sunt *expresse* ac perspicue a Deo manifestatae, cujusmodi sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis etc. quaedam vero ad fidem non pertinent, nisi *indirecte*, quatenus ea inficiari nemo potest, quin aliquod principale fidei nostrae dogma simul inficietur: ut si quis neget, Isaacum fuisse filium Abrahae, et alia, quae in sacris litteris narrantur, *indirecte* etiam earundem sacrarum litterarum veritatem, ac divinam inspirationem everteret. Vid. S. Thomas 1. Part. quaest. 32. art. 4. Primas veritates tenemur *explicite* credere; alias vero tantum *implicite* credere sufficit, seu ea animi dispositione, ut credere parati simus, quidquid in sacris litteris continetur.

§. CLXXX.

Tum *immediate*, vel *mediate*.

Rursus aliae sunt veritates *immediate* a Deo revelatae, aliae *mediate* tantum, quae scilicet in primis continentur, et ex iis necessaria, et evidenti consecutione derivantur; hoc enim genus conclusionum, utpote cum veritatibus a Deo revelatis intime connexum, ad fidem omnino pertinet, neque tolli potest, quin fides ipsa tollatur.

Scholion. Id potest etiam multis exemplis ostendi; sed uno, vel altero contenti erimus. Synodus VI. definivit, duas esse in Christo voluntates, et operationes, quia id necessaria, evidentique consecutione fluit ex illa veritate *immediate* revelata; in Christo duas esse naturas, divinam, et humanam. In concilio etiam Lugdunensi II. sub Gregorio X. definitum est, Spiritum S. procedere a Patre, et Fi-

lio tamquam ab uno eodemque principio; quae definitio fuit postea in concilio Florentino sub Eugenio IV. iterum renovata, quia nempe id ex veritatibus *immediate* revelatis recta, atque infallibili consecutione fluit. Ac antea simili ratione concilium Lateranense sub Innocentio III. contra Abbatem Joachimnm statuit, essentiam divinam nec generare, nec gigni, sed Patrem esse, qui generat, Filium, qui generatur etc.

§. CLXXXI.

Dupliciter aliquae veritates contineri possunt in aliis immediate revelatis.

Sed quoniam res haec magno est usui in Theologia, non erit inutile, cum multis gravibus Theologis illud etiam adnotare, dupliciter aliquid contineri posse in veritatibus à Deo *immediate* revelatis, adeoque dici posse *mediate* revelatum: 1. veluti partem in toto; 2. veluti effectum in causa vel proprietatem in essentia. I. modo revelata dicitur haec propositio: *Petrus peccatum originale contraxit*, quia haec propositio particularis continetur tamquam pars in hac generali revelata: *omnis homo peccavit in Adam*. Alio modo ad fidem pertinent hae propositiones: *Christus habuit liberum arbitrium*, aut *pollebat facultate ridendi*, (quamquam ea numquam usum fuisse legatur), quia utraque facultas proprietas est humanae naturae, quam in Christo perfectam fuisse, revelatio nos docet.

§. CLXXXII.

Aliud est aliquid pertinere ad fidem, aliud, esse de fide credendum.

Putant aliqui, dumtaxat primas propositiones ad fidem pertinere, qnia in veritatibus revelatis continentur *formaliter* veluti pars in toto; non autem secundas, quia non continentur nisi *virtualiter*; vereor tamen, ne ista distinctio nimis subtilis videatur, et nisi fallor, istae etiam ad fidem pertinere dicendae sunt: quamquam ut adstringamur ad eas certa fide credendas requiritnr Ecclesiae definitio, qua nondum existente, qui tales propositiones negaret, in fide certe erraret, haereticus tamen dici non posset; haereticum enim non solum error facit sed in errore pertinacia. Ubi etiam notandum est, a Theologis distingui dogmata, quae ad fidem spectant, ab iis, quae certa fide credi oportet. Primi generis sunt, quaecunque a Deo nobis sive *immediate* et

explicite, sive *mediate* et *implicite* revelata sunt: alterius autem generis sunt omnia dogmata, quae Ecclesia falli nescia, suis filiis credenda proponit.

§. CLXXXIII.

Articuli fidei alii *puri*, alii *mixti*.

His addi debet etiam divisio articulorum fidei in *puros*, et *mixtos*. Primi ex sola divina revelatione descendunt, ut fuisse a Verbo Divino humanam naturam assumtam. Alii colliguntur ex divina revelatione, et simul ex evidenti aliqua ratione: sic exempl. grat. quoniam ex divina revelatione constat in Christo fuisse humanam naturam perfectam, consequitur in eo etiam fuisse humanam voluntatem et liberum arbitrium, quandoquidem ratio naturalis nos docet, haec omnia ad hominis essentiam pertinere.

§. CLXXXIV.

Potest aliquis articulus esse purus, etiamsi pendeat ab aliqua propositione naturaliter certa.

Nollem tamen, aliquem hinc colligere, nullum esse fidei articulum purum, quia in omnibus articulis credendis semper aliquod ratiocinium intercedit, in quo propositio non est revelata, sed naturali lumine certa: sic credimus Verbum esse verum Deum, et Patri ὁμοὶσιον, quia id ab Ecclesia definitum fuit in concilio Nicaeno; at vero celebratum fuisse hoc concilium, atque hoc dogma definitum non ex revelatione, sed tantum ex fide historica nobis constat. Quod si ita esset, non modo nullus esset articulus *purus*, sed nihil plane esset certa, ac supernaturali fide credendum; quia *conclusio*, ut ajunt Logici, *semper sequitur debiliorem partem*.

§. CLXXXV.

Distinguendum est motivum nostri assensus ab ejus applicatione.

Quae difficultas, ut tollatur, distinguendum est motivum nostri assensus ab ejusdem motivi applicatione. Motivum, cur veram J. C. divinitatem credamus, est hujus dogmatis revelatio facta Ecclesiae, et ab Ecclesia, quae in hoc falli non potest, suis filiis proposita; certitudo autem historica de Ecclesiae definitione non est, nisi applicatio motivi; unde etiam ad assentiendum huic dogmati potissimum Ecclesiae auctoritate movemur, non autem a notitia historica celebrati concilii Nicaeni, quamquam et haec talis est, ut cuicunque certitudini etiam metaphy-

sicae in suo genere aequipolleat. Regula autem illa Dialectica vera est, quando utraque propositio praemissa, est causa movens ad conclusionis assensum; ut si dicam: *Quidquid in sacris Litteris refertur, certa fide tenendum est; sed ex iis admodum probabiliter eruitur, Moysen, et Paulum fuisse, dum viverent, intuitiva visione donatos; ergo etc.* hujusmodi conclusio non esset nisi probabilis, quamvis major sit omnino certa. Videri potest Melchior Canus lib. 6. *de locis theol.* cap. 3. in resp. ad 10. arg.

§. CLXXXVI.

Motivi applicatio debet esse omnino certa.

Secus tamen esset, si propositio naturali lumine nota, quae in tali ratiocinio adhibetur, non esset omnino, et undequaque certa: tunc enim conclusio non esset fidei supernaturalis objectum. Sic quamvis dogma fidei revelatum, et ab Ecclesia definitnm sit, in hostia rite consecrata contineri reipsa totum Christum Dominnm, nemo tamen inde colligat, etiam dogma fidei esse, in hac numero hostia verum Christi corpus contineri; quia evidens, aut certum undequaque non est, hanc numero hostiam esse rite, et a legitimo sacerdote consecratam. Tanta tamen hac de re certitudo habetur, qua possit sine idololatriae periculo publicae adorationi exponi; in nostris enim actionibus dirigendis ea certitudo moralis sufficit, quae non sufficit ad actum fidei supernaturalis eliciendum.

§. CLXXXVII.

An sit de fide Pium VI. esse verum Pontificem.

Ex principiis hactenus expositis resolvi poterit illa quaestio: an sit de fide *hunc numero hominem esse verum Rom. Pontificem?* Hac de re non multa inveniuntur apud veteres Theologos. Sed quaestio celebris facta est tempore, et occasione congregationum *de auxiliis* sub Clemente VIII. et de ejus origine legi meretur P. Hyacinthus Serry *in Hist. de div. auxiliis* lib. 2. cap. 29. et lib. 5. cap. 4. Verum quaestionem hanc data opera hic pertractare, necessarium non est. Sive enim id de fide sit, sive non, sufficit profecto, rem hanc adeo certam esse, ut *si quis* (quemadmodum recte ait cl. Muratorius in opere de *Ing. moderat.* etc. sub nomine *Lamindi Pri-*

tanii edito lib. 1. cap. 18.) *Rom. Pontificem pacifice electum, pacifice regnantem, et ab universa Ecclesia receptum* (cujusmodi est Pius VI.), *non credat verum Rom. Pontificem, eique idcirco obsequi, et obtemperare nolit, justa praecipienti, hac una excusatione fretus, quod non sit certum, ut ajunt, de fide, illum esse verum Romanae Ecclesiae antistitem; homo tam temerarius, utpote gravi crimine obstrictus, merito coercendus sit severissimis poenis, et communione ecclesiastica privandus . . . . Hinc justis castigationibus repressi olim quidam Theologastri fuere, qui quum ab Apostolica Sede damnatum iri praesentirent nonnullas suas absonas a Christi doctrina sententias, sperarunt, aut Rom. Pontifici terrorem se incussuros, aut frustraturos damnationem si hanc thesim evulgarent, ac propugnarent*: Non est certum de fide, hunc numero Papam esse verum Pontificem Romanorum. *Ridendum plane, et perquam temerarium consilium . . . quasi aliunde evidenter non constet, qui sint veri Pontifices Romani, et quasi fatendum ipsis quoque non fuisset, hanc unam sufficere evidentiam, ut Romani Pontificis, et Conciliorum decretis, atque auctoritati parere deberent, si Catholici esse, ac dici vellent.*

§. CLXXXVIII.

Quid sit propositio theologica.

Restat, ut pauca dicamus etiam de iis propositionibus quae *theologicae* appellantur. Et quidem si de Theologia duntaxat *dogmatica* sermo sit, facile liquet, eas omnes spectare ad fidem aliquo saltem modo, ut supra explicatum fuit. Si autem de Theologia *scholastica* loquamur, ea potest dici propositio theologica, quae deducitur quidem ex principiis revelatis, sed ratiocinio non omnino certo, et evidenti, vel etiam ex testimoniis sacrarum scripturarum, quorum tamen germanus sensus ab Ecclesia nondum determinatus est. Harum propositionum pleni sunt Scholasticorum libri; neque omnes inutiles sunt; multae enim dogmatibus Ecclesiae illustrandis plurimum inserviunt, et Theologiae dogmaticae appendices vocari non inepte possunt. Magna tamen Theologo adhibenda est diligentia, ut ea, quae fidei sunt, ab opinionibus hominum etiam probabili-

bus, aut certis secernat; qua quidem in re plurimam lucem afferent, quae de variis errorum gradibus, eorumque notis, ac censuris mox dicturi sumus.

CAPUT XX.

De variis errorum gradibus in Theologia, eorumque notis, ac censuris.

§. CLXXXIX.

Postquam concilium Constantiense sess. VIII. variis, ac diversis censuris propositiones Wicleffi, et Joannis Hus perstrinxit, usus invaluit, in aliis quoque similibus occasionibus easdem notas distinguendi, immo et multiplicandi. Nam Synodus Constanticnsis nonnisi septem notas adhibuit, aliae posterioribus temporibus vel a summis Pontificibus, vel a Theologis adjectae sunt. Nos praecipuas referemus, et explicabimus.

Concilium Constant. variis notis propositiones Wicleffi perstrinxit.

§. CXC.

Prima, et omnium gravissima est nota haereseos, qua nonnisi illae propositiones configi possunt, quae *expressae*, et *immediatae* revelationi in sacris litteris, vel traditione perspicue contentae, aut Ecclesiae definitioni adversantur. Potest doctrina aliqua damnari ut haeretica, quin ille, qui eam docuit, sit haereticus; cum nempe ex ignorantia, et sine pertinacia errat, Ecclesiae judicio se submittere paratus: hinc illud scite dictum: *errare potero, haereticus esse non potero*. Sic excusatur S. Cyprianus ab haeresi *Rebaptizantium*; et sic etiam Semipelagianorum Coryphaei ut Sancti alicubi coluntur, cum eorum discipuli ut haeretici damnati fuerint. Et haec facile intelliguntur.

De propositione *haeretica*.

§. CXCI.

Difficilius determinatur a Theologis, quid sit propositio *erronea*, vel *haeresi proxima*. Missis aliorum opinionibus, videtur, eas propositiones esse *erroneas*, vel *haeresi proximas*, quae non adversantur quidem expressae revelationi, aut Ecclesiae

De propositione erronea, vel haeresi proxima.

definitionibus, adversantur tamen communi sanctorum Patrum, aut Doctorum sententiae in materia fidei, vel morum; aut tales sunt, ut ex iis evidenti ratiocinio Theologico consequatur corruptio alicujus articuli fidei. Sic ut *erronea*, et *haeresi proxima* in Conc. Constant. damnata est illa propositio: *Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, seu Religiosos non magis prosunt, quam generales*: quia opponitur communi SS. Patrum ac Fidelium sententiae. Similiter *erroneum*, *et haeresi proximum* esset, negare Christum habuisse ridendi facultatem; quia, licet hoc neque in S. Litteris, neque in traditione expresse inveniatur, evidenter tamen ex mysterio Incarnationis colligitur.

§. CXCII.

De propositione sapiente haeresim.

Propositio *sapiens haeresim*, vel *haeresis suspecta* illa dicitur, quae licet absolute prolata possit sano sensu explicari, ex adjunctis tamen vel contextus, vel personae, vel temporum etc. suspicionem prudenter ingerit pravi alicujus sensus, qui lateat. Exemplum sit in hac voce Χριστοτόκος quae a Catholicis de B. M. V. sine ulla suspicione proferebatur, quia aliunde unam Christi personam aperte confitebantur; sapiebat tamen haeresim, de eaque suspecta erat in ore Nestorianorum, propter rationem oppositam.

§. CXCIII.

De propositione temeraria.

Si aliquid asseratur in materia fidei, aut morum, quod non quidem pugnet cum revelatione expressa in verbo scripto vel tradito, aut cum ecclesiae definitionibus; sed tamen nullum est, aut nonnisi levissimum id asserendi fundamentum, tunc propositio ut *temeraria* rejici ac damnari meretur; cujusmodi erant plures doctrinae, in quibus olim Scholastici bonas horas conterebant. Idem dicendum de multis Casuistis, nisi forte quis merito existimet, eos turpius errasse, dum sine gravibus fundamentis de pluribus humanae vitae actionibus definire arbitratu suo solebant, quia eorum temerariis definitionibus imperitum vulgus acquiescebat. Similiter *temeritatis* arguendi sunt illi intemperantiores Critici, qui assumptionem B. M. V. una cum corpore in coelum, aut

multas sacras historias, vel miracula communiter recepta sine gravibus momentis rejicere audent; quod malum quotidie augeri vehementer dolemus.

§. CXCIV.

De propositione scandalosa.

Propositionem *scandalosam* ex effectu nominant Theologi, quia scandalum parit, et est infirmis causa ruinae; ut quando aliqui minus caute, et sine necessitate vitia Ecclesiasticorum, aut Pastorum, aut Principum, ac Regum apud imperitos exponunt, quamquam veritatem non laedant, laedunt tamen caritatem, et insuper scandalum generant infirmis, quia debitis erga eos officiis quodammodo absterrentur. Ita etiam, qui Sanctorum Patrum venerationem imminuere conantur expositis, ubi necesse non est, et saepius exaggeratis eorum naevis; cum tamen aequitas postulet, ut quoad fieri potest, excusentur, atque eorum pietatis ac doctrinae gloria veluti contegantur.

§. CXVC.

De propositione piarum aurium offensiva.

Ab his propositionibus non multum differunt aliae, quae dicuntur *piarum aurium offensivae*, quia scilicet, quamvis verae sint, continent tamen aliqna absona, quibus piorum aures offenduntur; *piorum* inquam, nam impiorum nulla ratio habenda est; quemadmodum Christus nullam habuit rationem Pharisaeorum qui ex ejus doctrina scandali, et offensionis occasionem immerito sumebant. Sic piorum aures offenderentur, si nonnulla de conceptione, et partu Christi Domini incaute explicarentur; et sic in Sanchezio, et nonnullis aliis *Moralistis* multa reprehensa sunt de matrimonio, ac peccatis obscoenis, quia piorum aures offendebant.

§. CXCVI.

De propositione male sonante.

Sic etiam propositio, quamquam in se vera, rejici quandoque meretur propter *malum sonum*, vel *malum sensum*, quem prima fronte praesefert, et propterea dicitur *male sonans*. Sic illa propositio: Deus *excitat, et movet homines ad malum*, quamquam vera sit, si intelligatur solum de entitate peccati, aut de sola subtractione gratiae, absolute tamen prolata dicitur *male sonans*, quia exhibet sensum

obvium malum; quo in genere peccasse Gotteschalcum Sec. IX. etiam ii concedunt, qui alioquin ejus doctrinam fuisse puram, et Augustinianam defendunt.

§. CXCVII.

De aliis notis Censoriis.

Operae pretium non est alias notas uberius explicare, quarum notio ex ipsa voce facile eruitur; ut nempe de propositione Schismatica, Judaica, Atheistica etc. Ceterum de primis, quae majoris momenti sunt, plura dabit Melchior Canus lib. XII. cap. 7. et seq.

§. CXCVIII.

De Scholasticorum auctoritate.

Coronidis loco pauca adjiciamus de censura, quam merentur propositiones contra communem, et unanimem Scholasticorum doctrinam. Celebris est illa Melch. Cani praeceptio lib. XII. de *loc. theol.* cap. 7. *Si Scholastici Theologi aliquam conclusionem firmam, et stabilem uno ore omnes statuerint, atque ut certum Theologiae decretum fidelibus amplectendum, constanter, et perpetuo docuerint, illam ut catholicam veritatem fideles sane amplectemur*; qua de re plura ibidem disputat.

§. CXCIX.

Raro inter se conveniunt.

Sed primo ea est hujusmodi regula, qua aut vix, aut nullatenus uti possumus, nonnisi enim rarissime contingit, ut Scholasticorum communis, ac constans sit sententia; et ferme semper inter se dissentiunt; quo in casu certe vera est ejusdem auctoris sententia, qui lib. VIII. cap. 4. ita statuit: *Theologorum Scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit.* Sane ipse Canus nonnisi unum exemplum istius communis consensus attulit, scilicet animam Christi, statim ac in corpore fuit inclusa, Deum aperte vidisse. Si plura quis exempla exposceret, forte nec illi suppeterent.

§. CC.

Si autem conveniant, iis refragari ad summum temerarium erit.

Deinde etiamsi omnes Scholastici uno ore, et constanter aliquid doceant, nisi id ex sacris litteris, aut ex traditione se didicisse ostendant, illud ad fidem

certo pertinere non propterea efficietur, ut proinde, qui ab iis se discedere profiteatur, a fide discedere censendus sit; unde etiam idem auctor suam mentem magis perspicue aperuisse videtur, dum loco mox laud. scripsit: *Ex Auctorum omnium Scholasticorum communi sententia in re quidem gravi usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut illis refragari temerarium sit*; quod ita intelligendum est, nisi gravia suppetant refragandi argumenta. Sed de his hactenus.

CAPUT POSTREMUM.

De methodo, atque ordine rerum, quae in Theologia systematica exponi debent.

§. CCI.

De methodo Theologiae systematicae.

Nihil de historia Theologiae litteraria nunc attinet dicere, quoniam haec post Patrologiam satis explicata fuit, ubi etiam de varia, quae variis temporibus obtinuit, Theologiae tractandae methodo satis dictum est; nunc solum addere opportunum ducimus, methodum, qua nos usuri sumus, esse eam, quae *systematica* appellari solet, quod veritates eo ordine eaque serie coaptantur, ut una ex altera, quoad fieri potest, recte deducatur; atque simul omnes uno veluti nexu, et vinculo inter se colligentur; ita enim fiet, ut mutuam sibi lucem communicent.

§. CCII.

De ordine, et serie rerum in hac Theologia tractandarum.

Porro id facilius nos consequi posse speramus, si *ordinem* ipsum *salutis*, ut vocant, sectemur, ut nempe, postquam in Parte Isagogica ea explicuimus, quae Theologiae quasi praeambula sunt: 1. agamus de Deo, ejusque attributis: 2. de Trinitate Personarum divinarum: 3. de rerum omnium creatione, conservatione, ac gubernatione, potissimum autem de Angelis, et hominibus, qui ceteras res creatas dignitate antecellunt. Explicato autem primorum ho-

minum lapsu, veluti sponte sua nobis sese offeret 4. loco doctrina de humani generis redemptione, instituta per Jesum Christum *Ecclesia*, et *Sacrificio* Eucharistico. Cumque Christus de mediis etiam providerit, et adjumentis, queis salus, ab ipso parta, singulis hominibus applicari possit, haecque sint *gratia Christi* medicinalis, et *Sacramenta novae legis*: hinc 5. agendum erit de *gratia Christi* et *Sacramentis*. Deinde 6. de justificatione, bonis operibus, et merito. Ultimo denique de fruitione salutis in ipsa vita aeterna, quae in beatifica Dei visione consistit, et ad quam consequendam sicuti omnes aliae actiones nostrae, ita etiam Theologiae studium dirigi debet.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS SECUNDA.

De Deo uno, ejusque proprietatibus.

Tria potissimum in hac secunda Theologiae parte complectemur, videlicet, Dei existentiam, ejus essentiam, ac demum proprietates seu attributa, quae Deo conveniunt, ut unus est in essentia.

CAPUT PRIMUM.

De existentia Dei.

§. I.

Quid Dei nomine intelligatur.

Quamquam Dei existentia in ea Philosophiae parte, quae *Theologia naturalis* inscribitur, demonstrari soleat, non erit tamen inutile, idem argumentum longe gravissimum, atque hisce temporibus maxime necessarium, breviter saltem retractare. Prius autem quid Dei nomine intelligamus, explicandum est: intelligimus nempe *Ens a se ipso existens, et infinite perfectum, quod omnium aliorum entium causa effectrix sit.* Hoc ens qui existere negant, ἄθεοι graeco nomine vocantur, qui in triplicem classem distingui solent. Si qui enim sunt, qui nihil de Deo audiverunt, Athei *negativi* dicuntur: qui eo impietatis deveniunt ut Deum cavillationibus de medio tollere nitantur, sunt Athei *dogmatici*: qui autem dubitare se dicunt, sit nec ne Deus, Athei *sceptici* dici possunt. Jam vero contra hos omnes Dei existentia vario argumentorum genere demonstranda est.

Triplex Atheorum genus.

§. II.

Deum existere ostenditur primo ex contingentia rerum.

Et I. id evincitur argumento metaphysico ex omnium rerum, quae in hoc mundo sunt, contingentia, ex qua apparet, ea a se ipsis non esse, sed

ab aliqua alia causa producta: cumque in causarum serie procedi non possit usque in infinitum, necesse tandem est, ut ad aliquod ens perveniamus aeternum, improductum, a se ipso, et ex necessitate naturae suae existens, a quo caetera omnia originem traxerint; hoc autem primum ens nihil aliud esse potest, nisi Deus infinite perfectus. Hoc enim ipso, quod a se et necessitate naturae suae existit, nulla ei perfectio deesse potest; quid enim ejus perfectionibus limitem ponere potuit? non alia causa praeter ipsum, quia a nulla causa ejus existentia dependet: non ipse Deus, quia ille sibi ipsi existentiam non dedit; absurdum enim esset fingere, Deum, antequam exsisteret, sibi ipsi existentiam dedisse.

§. III.

Secundo ex motu.

II. Dei existentia demonstratur ex motu, quam demonstrationem vocat Angelicus *primam* et *manifestiorem*, I. p. q. 2. a. 3.; prima enim causa hujus motus, quem in rerum natura esse nemo nisi Scepticus negaverit, non alia esse potest, nisi Deus; si enim hoc negetur, aut necesse erit dicere, cum Spinoza (p. 2. *Ethicae* proposit. 13. Lemm. 3.) unum corpus ab alio moveri, et hoc rursum ab alio usque in infinitum, aut cnm Joanne Tolando (Epist. 4. et 5. ad Sirenam) post Epicurum et Democritum, motum esse materiae congenitum; utrumqne autem est absurdum. Absurdum est primum; nullum enim corpus modo moveretur, si ad motum illius necessarius esset infinitorum corporum motus, quia infinitum pertransiri non potest, ut ex ipsis terminis patet: Et rursus motus singulorum corporum causam haberet, a qua productus esset; motus autem omnium a nulla causa penderet, quod iterum est absurdum. Nec minus repugnat, motum fingere materiae ingenitum et essentialem; nam primo in idea materiae non relucet motus, et materia concipi potest, immo fortasse aliqua ejus pars est in perfecta quiete: secundo vel iste motus, aut conatus ad motum materiae essentialis dirigitur ad certam aliqnam partem, vel ad omnem; si primum, debet esse aliqua ratio, cur motus habeat hanc directionem potius, qnam aliam, quae ratio in materia esse non potest, quae ex se ipsa indifferens est, ut moveatur

secundum quamcumque directionem: si vero dicatur motum ingenitum materiae esse ad omnem directionem, tunc intelligi non poterit, quomodo materia locum suum mutet; videmus enim corpora, quae a viribus aequalibus, et contrariis urgentur, immota consistere (*).

§. IV.

Tertio ex pulchritudine universi.

Tertia et multo intelligibilior Dei existentiae demonstratio ex hujus universi contemplatione depromitur; tanta enim in eo relucet pulchritudo, concinnitas, et in perpetua rerum variatione constantia, ut vel ratione carere necesse sit, qui eam non considerat, vel cum ratione insanire, qui eam sine omnipotenti, sapientissima, et infinita causa esse, aut conservari posse comminiscatur (**). Quod si ad nos ipsos cogitationem convertamus, animique nostri naturam consideremus, cujus tanta est in cogitando facilitas, subtilitas in intelligendo, libertas in volendo, tantaque aliarum perfectionum congeries, ut recte fuerit homo a sancto Augustino appellatus *miraculum omni miraculo majus*; quis poterit non concludere, Deum esse tam mirabilis operis sapientissimum artificem?

§. V.

Quae casui adscribi non potest.

Risu autem potius quam confutatione digni videntur ii Philosophi, qui ex fortuito atomorum concursu haec omnia prodire potuisse somniarunt. Sane delirare putaretur, qui ex fortuito litterarum jactu

---

(*) De hac demonstratione praeter S. Thom. I. p. q. 2. a. 3. et lib. I. *contra gentiles* cap. 13., consuli possunt P. Thom. Vinc. Moniglia *Dissert. contra i Materialisti* P. I. Sez. 2. §. 6., et p. 2. Sez. 3. ubi multa eruditione ostendit, hoc argumentum fuisse a veteribus Ecclesiae Patribus saepius usurpatum; et plures alii recentiores eamdem materiam copiose tractarunt.

(**) *Mundus ipse*, inquiebat S. Augustinus Lib. XI. de *civ. Dei* cap. 4. *ordinatissima sua mutabilitate, et mobilitate, et visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus, et factum se esse, et non nisi a Deo ineffabiliter, atque invisibiliter magno, et ineffabiliter, atque invisibiliter pulchro fieri potuisse proclamat.*

Virgilii *Æneidem*, aut *Iliadem* Homeri prodire potuisse assereret: insanaeque mentis homo haberetur, qui artificiosam picturam, aut elegans aedificium ex caeca partium combinatione coaluisse sentiret; quanto magis delirare dicendi sunt, qui hanc pulcherrimam et ornatissimam mundi machinam caeco, et fortuito atomorum concursui cum Epicuro tribuere non verentur?

Scholion. Ad hujusmodi demonstrationes digitum intendere videntur nonnulla scripturae loca, ut illud Ps. XCIX. *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos*: item Sap. XIII. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex... a magnitudine enim speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Atque illud denique Rom. 1. *Invisibilia ipsius* (Dei) *a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus; ita ut sint inexcusabiles*. Addere tamen possumus cum S. Prospero in epist. *ad Demetriad.* contemplationem creaturarum parum prodesse ad cognoscendum Deum, *nisi summus et verus agricola potentiam sui operis adhibuerit*. Quod exemplo veterum Philosophorum facile patet.

§. VI.

Postrema ex gentium consensu.

Praeter haec invicta prorsus argumenta, quibus existentia Dei demonstratur, aliud nobis suppeditat omnium fere hominum tam sapientum, quam indoctorum hac in re consensus; in quo argumento plurimam vim ponebat Cicero (*) inquiens: *de quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est.* Omnes autem tam doctos, quam indoctos in confitenda aliqua suprema Divinitate inter se consentire, res est, et auctoritate plurium Philosophorum, et experientia ipsa luculentissime comprobata.

(*) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 17. Videatur etiam S. Thomas Libro II. *contra gentiles* cap. 34.

§. VII.

Quantum ad Philosophorum testimonium, unus sufficere poterit Cicero mox laudatus, qui fidenter inquiebat: *Quae est gens aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum?* (*) Infiniti autem essemus, si SS. Patrum similia testimonia in medium affere vellemus. Ut testantur Philosophi.

§. VIII.

Experientia autem id confirmat, primo ex eo, quod illi pauci, qui Atheismum professi sunt, tamquam monstra omnibus execrationi fuerunt. Secundo: quod itineratores, qui apud barbaras et incultas nationes diutius commorati sunt, earumque mores diligentius investigaverunt, nullam prorsus hactenus se invenisse testantur omnis Religionis expertem; et quorum propterea relationes praeferendae sunt relationibus aliorum, qui rem minus prope et minus attente considerantes aliquos populos nobis depinxerunt tamquam Atheos *negativos*, apud quos scilicet nulla prorsus de Dei existentia suspicio fuerit (**). Et experientia confirmat.

§. IX.

Haec paucis complexi sumus, tum quia veros Atheos, qui semper paucissimi fuerunt, pluribus confutare

---

(*) Idem repetit pluribus aliis in locis, idemque tradunt Sen. epist. 117. Plutarchus *adversus Colotem* prope finem, Heraclitus, Aristoteles, Quintilianus, aliique, quorum testimonia affert Hugo Grotius Lib. I. *de jure belli et pacis* cap. I.

(**) Hoc argumentum infirmum visum est non solum Baelio, cujus in hac parte suspecta fides habetur, sed etiam nonnullis aliis, qui nulla impietatis suspicione laborant. Verum multo plures doctissimi viri illud tamquam efficax adhibuerunt, prout videre est apud Jo. Alb. Fabricium *in delectu argumentorum, et syllabo Scriptorum, qui veritatem Religionis christianae... adseruerunt* cap. 8. Addi possunt Huetius in *Alnetanis quaestionibus* Lib. 2. cap. 1. Bernard. Lamy *in demonstrat. veritatis, et sanctitatis Ethicae Christianae* sect. I. cap. 6., P. Antoninus Valsecchi *de fundamentis Religionis* Tom. I., et novissime Aloysius Brenna *de generis humani consensu in agnoscenda Divinitate.*

necessarium non videtur; tum quia haec fusius, et accuratius in Metaphysica pertractata supponuntur; tum denique, quia, ubi actum est de Revelatione, existentia etiam Dei luculenter confirmata fuit, magisque etiam confirmabitur in P. IV. ubi agemus de creatione.

CAPUT II.

Ostenditur, Deum verum a nemine rationis compote posse inculpate ignorari.

§. X.

Ante Christum paucis nota fuit vera Divinitas.

Communem semper fuisse doctis, indoctisque aliquam saltem indeterminatam Divinitatis notionem, hactenus manifestum fecimus; fatendum tamen est, hanc cognitionem fuisse in plerisque, immo in omnibus fere populis ante adventum Christi multis erroribus foede corruptam, et admodum paucos in cognitionem verae Divinitatis, quae nonnisi unica esse potest, pervenisse. Hinc disputare coeperunt Theologi, an haec veri Dei ignoratio, quae admodum late patebat, fuerit in omnibus culpabilis? et quidam inventi sunt, qui negantem sententiam tuerentur, quorum falsa opinio etiam incredulis nostrorum temporum admodum placuit (*).

(*) Ludov. Molina in Comment. ad I. P. S. Thomae quaest. II. art. I. hanc sententiam *maxime probabilem* appellat; quem postea secuti sunt Gregorius de Valentia, Rodericus Arriaga, et alii. Immo Jo. Caramuel in *Apologia contra Fagnanum* ita fidenter pronuntiare non est veritus: *Posse invincibiliter nesciri Deum, Theologi nobiliores affirmant.* Nonnulli tamen aliquos hujus inculpatae ignorantiae terminos posuerunt, docentes: Deum posse, sin minus toto vitae cursu, aliquo saltem tempore invincibiliter ignorari. Ita inter alios Joannes Martinonus. Hanc quorumdam Theologorum sententiam libenter adoptavit Joan. Jac. Rousseavius in suo *Emile* Tom. II.; quamvis alibi sui immemor, vel sibi parum constans Tom. III. p. m. 163. Deum in operibus naturae adeo se ostendere dicit, ut homo facultatibus sibi ab eodem concessis bene utens, eum ignorare non possit.

§. XI.

Sed hujusmodi sententia e diametro pugnat cum sacris litteris; ita enim Deum orabat David in Psalmo LXXVIII. *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt, et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt*; quae verba etiam repetuntur Jerem. X. v. ult. Et S. Paulus II. ad Thessal. I. 8. *In flamma ignis*, dicebat, *dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum*. Quae sacrae Scripturae oracula, quamquam satis perspicua sint, adhuc tamen clarius ita explicantur a SS. Patribus, ut nemo possit Deum ignorare, quin iram divinam promereatur. Unum afferam Tertullianum, qui in lib. 5. *contra Marcionem* cap. 16. postquam ostendisset, Deum naturaliter hominibus innotescere, ita concludit: *Illius est ergo etiam ignorantes Deum plectere, quem non licet ignorare*. Et rursus *de Poenitentia* cap. 6.: *Ignorantes Dominum nulla exceptio tuetur a poena, quia Deum in aperto constitutum ignorare non licet*; ac demum in *Apologet*. cap. 17. *Haec est summa delicti*, inquit, *nolentium recognoscere* (Deum) *quem ignorare non possunt*; quam Tertulliani sententiam etiam S. Cyprianus adoptavit in libro *de vanitate idolorum*.

Sed hanc ignorantiam semper culpabilem fuisse scriptura ostendit.

Tum etiam sancti Patres.

§. XII.

Porro infinitus essem, si omnia aliorum Patrum testimonia in medium afferre vellem, qui magno consensu hanc inculpatam Dei ignorantiam explodunt; brevitatis autem gratia ad hanc solam rationem me confero. Posita invincibili, et inculpata Dei ignorantia necessario consequitur, peccata ab his ignorantibus Deum perpetrata, non posse iis ad culpam imputari, sed esse peccata tantum *philosophica*; quomodo enim homo censeretur injuriam irrogare ei, quem sine culpa ignorat? at vero admitti posse ab ignorantibus Deum aliqua peccata, quae tantum philosophica sint, et non imputentur ad culpam, aperte damnatum fuit a Pontifice Max. Alexandro VIII. qui hanc propositionem Apostolico fulmine proscripsit (24. Aug. an. 1690.): *Peccatum philosophicum, ac morale est actus humanus disconveniens natu-*

Atque ipsa ratio theologica ex damnatione peccati philosophici.

rae rationali, et rectae rationi, Theologicum vero, et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave in eo, qui Deum vel ignorat, vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, atque aeterna poena dignum.

§. XIII.

Ne quidem brevi tempore Deus inculpate ignorari potest.

Haec autem ratio probat, nec brevi quidem tempore ab homine usu rationis pollente Deum inculpate ignorari posse, nisi velimus illud Caramuelis approbare, qui (in *Apol.* contra Fagnanum) hunc casum proponit: *Nascitur puer, baptizatur, antequam loqui sciat, capitur a barbaris, in sylvam inducitur, et Atheismum positive docetur, ad usum rationis pervenit . . . Moriatur iste puer, antequam ignoret vincibiliter Deum, et aliquod committat peccatum mortale. Quo puerum D. Fagnanus mittet? non ad infernum, quia originali illo et actuali mortifero caret: ad coelum ergo?* qua resolutione nescio, an aliquid magis absurdum fingi possit.

Absurda Caramuelis doctrina.

§. XIV.

Quamquam illa longe adhuc absurdior est doctrina Coelest. Sfondrati, qui in suo *Nodo praedestinationis dissoluto* magnam gratiam a Deo Brasiliensibus, aliisque barbaris, incultisque nationibus collatam esse dicebat, quod in ignorantia Dei invincibili jacerent, per quam *impeccabiles* reddebantur; *alioquin certissime peccaturi, si (Deum) agnoscerent*: Nempe ut illustrissimus Bossuetus cum aliis 4. Galliarum Episcopis Innocentio XII. hac occasione scribebat: *hoc superest ad erroris cumulum, ut quia lege Dei, et gratia ingrati abutimur; subtractio legis, et gratiae non poenae, quod semper Ecclesiae visum est, sed gratiae, et beneficio imputatur.* Nos contra ex sanioribus Theologiae principiis juges, atque immortales Deo gratias agemus, quod in sancta, ac pura religione veram sui notitiam nobis concedere dignatus sit, illud saepius repetentes: *non fecit taliter omni nationi*, eumque orabimus, ut quemadmodum singulari beneficio veram Divinitatem cognosci-

mus ; ita ejusdem ope illam , prout oportet , glorificemus (*).

CAPUT III.

De Nominibus Dei.

§. XV.

Nullum plane nomen est, quo naturam Dei accurate explicare valeamus; ut enim inquiebat S. Gregorius Nazianz. Orat. 36., *Deus nullo nomine exprimi potest, idque ostendunt non tantum rationes, sed etiam Hebraeorum doctissimi quique, atque antiquissimi.* Quam ob rem vel ipsi ethnici Philosophi Deum ἄῤῥητον *ineffabilem* esse dicebant. Necessitate tamen cogente plura nomina inventa sunt, quibus, ut inquiebat Origenes Lib. 6. contra Celsum, ad aliquam cognitionem Dei manuducamur. Hinc recte colligebat Dionysius vulgo Areopagita *de Div. Nomin.* cap. 1. Deum esse ἀνώνυμον et πολυώνυμον, quia nullum habet nomen proprium et multa impropria. Deus proprie nominari non potest.

(*) De hac quaestione praeter Scholasticos consuli possunt Antonius Arnaldus in opere; *La Nouvelle heresie dans la Morale denoncèe au Pape* etc. ubi occasione impugnandi peccatum philosophicum plura habet huc spectantia, Michael Elizalde *De forma verae Religionis*, P. Pius Thomas Milante *Exercitat. Dogmatico-Mor.* Tom. III. Exercitat. unica in proposit. damnatam ab Alexandro VIII., *et* P. Vincentius Patuzzi in sua *Ethica Christiana* Tom. II. Dissert. III. cap. V. Sed quantum attinet ad *nodum praedestinat.* Card. Sfondrati notare juvat inter MSS. P. Abbatis Bened. Pacchinii Ord. S. Bened. inventam fuisse *dissertationem* sub nomine *Barachiae Scutensis (seu Benedicti Parmensis) in qua ostenditur, quae minus Theologica in eo opere videntur, tentamina potius imperfecta, et adversaria ejus eruditissimi viri esse, eaque temere nimis ab aliis edita multis adjectis, multis deletis, et amputatis, ipso prae aegritudine, qua extinctus est, ante finitam editionem vix de ea re cogitante . . . . ideoque rite non posse opus illud Eminentiss. Sfondrato tribui.* Ita habetur in vita P. Pacchinii praemissa ipsius *epistolis polemicis.* §. 4.

§. XVI.

Dei nomina apud Hebraeos.

S. Hieronymus in epist. 25. ad Marcellam, decem enumerat nomina, quibus Hebraei Deum appellare, ac significare solebant: nempe 1. אל *fortis*. 2. אלהים *Deus*. 3. אלה *Deus*. 4. צבאות *Virtutum*. 5. עליון *excelsus*. 6. אהיה אשר אהיה *sum, qui sum*. 7. אדני *Dominus*. 8. יה *Dominus*. 9. יהוה *Dominus*. 10. שד *omnipotens*. Ceterum nomen Dei omnino proprium apud Hebraeos est יהוה, quod etiam *tetragrammaton* dici solet propter 4. litteras integrantes, quibus constat, et *arcanum*, ac *ineffabile* ab Hebraeis vocatur, qui propterea loco *Jehova* legere solent *Adonai*. Operae autem dispendium faceret, si quis Rabbinos fabulatores, qui ex tribus versiculis cap. III. Exodi 14. et sequ. plane 72. Dei nomina commenti sunt, et qui in hujusmodi Rabbinorum plus quam labyrintheis maeandris evolvendis insudarunt, legere institueret (*).

§. XVII.

Nomina Dei synonima non sunt.

Observat S. Thomas I. P. Q. 13. art. 4. haec omnia nomina non esse synonima, quia licet significent unam rem, nempe ipsam essentiam divinam, eam tamen significant sub rationibus multis, et diversis. Neque obstat, quod SS. Patres eandem Dei essentiam variis istis nominibus significari nonnunquam asserant; sunt

---

(*) Nostri instituti non est eam difficultatem expendere, quae oritur ex cap. VI. Exodi 3., ubi nostra Vulgata sic legit: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Jacob in Deo omnipotente, et nomen Adonai non indicavi eis*; hebraicus autem textus loco *Dominus*, et *Adonai* legit *Jehova*; quasi scilicet hoc nomen fuerit tunc primo Moysi revelatum, cum tamen in libro Genesis non semel ejus mentio inveniatur. Quam difficultatem, ut solvant, aliqui dicunt, Genesim fuisse a Moyse scriptam, postquam Deus hoc ei nomen manifestaverat. Alii dicunt hoc nomen *Jehova* non fuisse veteribus Patriarchis penitus ignotum, Moysi tamen fuisse ejus significatum expressius, et clarius indicatum. P. Car. Houbigant bene observat, non tam de nominibus Dei hoc loco agi, quam de rebus per nomina significatis: censet autem per nomen Jehova expressius fuisse Moysi revelatum, Deum esse suas promissiones, quae respiciebant terram Chanaam, adimpleturum.

enim intelligendi de eadem quidem essentia, sed diversis rationibus considerata. Instar omnium sit S. Basilius, qui in epist. 189. *ad Eustathium*: *Omnia*, inquit, *Deo competentia tum cogitata, tum nomina sunt inter se ejusdem dignitatis, eo quod circa subjecti significationem nihil habeant discriminis; non enim mentis cogitationem ad aliud subjectum ducit appellatio boni, et ad aliud sapientis, potentis, et justi, sed quaecumque nomina protuleris, unum prorsus omnia significant*; nam postea subdit, varia illa nomina intelligentiam nostram aliis alia notionibus ad idem perducere.

§. XVIII.

Unde nomen Dei.

A Graecis communiter appellatur Θεός, unde etiam latina vox *Deus*; sed in ejus Etymologia reddenda variae, et diversae sunt SS. Patrum, et Doctorum opiniones. Aliqui eam trahunt ab αἴθειν *ardere*, unde etiam S. Paulus Heb. XII. 29. inquiebat, *Deus noster ignis consumens est*; quae verba Apostolus ex Deuteronom. IV. 24. desumpsit; explicantur autem a Damasceno Lib. I. *fidei orth.* cap. 12. *quod Deus ignis sit omnem malitiam consumens*. Cavendum est tamen in hac etymologia, ne in illorum incidamus insaniam, qui Dei naturam igneam esse effutiebant. Alii nomen Dei deducunt a θεᾶσθαι, vel θεωρεῖν quod est *videre*, quia omnia videt: ita S. Joannes Damascenus loco laud. Alii alias afferunt hujus vocis origines, quas erudite persequuntur Petavius Lib. 8. *de Deo* cap. 6. et seq., Vossius in suo *Etymologico*, et Svicerus in *Thesauro Ecclesiastico*.

§. XIX.

Nomen Dei significat ejus essentiam.

Quaestio etiam exorta est, an hoc nomen *Deus* significet ejus οὐσίαν *naturam*, an vero ἐνέργειαν *operationem*. Hoc secundum affirmabant Palamitae in Synodis contra Barlaamum, et Acyndinum, ut viam veluti praepararent errori suo, quod non Dei essentia, sed solum aliqua gloria creata a Beatis videatur. Verumtamen certo certius est, hoc nomen fuisse semper usurpatum ad ipsam Divinitatis essentiam, quoad fieri potest, significandam; unde Tertullianus contra Hermogenem cap. 3. *Deus*, inquit, *substantiae*

ipsius nomen, seu *Divinitatis*. Alia autem nomina, ut omnipotens, bonus, sapiens etc. divina attributa nobis exhibent; quamquam cum attributa unum, idemque sint cum divina essentia, haec etiam nomina adjectiva *ratione subjecti* Dei essentiam designare possunt. Certum nomen Dei sumitur etiam ὑποστατικῶς *personaliter*, pro singulis scilicet Personis Patris, Filii, et Spiritus S. quatenus una est omnium essentia.

Aliquando etiam Personas.

§. XX.

Improprie tribuitur falsis Diis et hominibus.

Observandum adhuc est, hoc nomen Dei etiam *improprie* in sacris Litteris usurpari, et quidem multipliciter. 1. Tribuitur falsis Diis, seu idolis gentilium, quae recte appellat S. Joannes Chrysostomus Homil. 36. in Gen. Χειροποιήτους Θεὺς *manufactos Deos*. 2. Magistratibus, et Judicibus, ut in Ps. LXXXI. 1., et 6., quem locum ita commentatur Theodoretus: *Judaeorum Principes Deos, utpote quibus judicandi officium commissum erat, nominavit*. 3. Etiam Moysi hoc nomen tributum legimus Exodi VII. Et haec quidem de nominibus Dei, nunc de ejus essentia.

CAPUT IV.

De essentia Divina, quam ab adspectabili rerum mundanarum universitate diversam esse contra Pantheistas, et Spinozistas ostenditur.

§. XXI.

Quis Pantheistarum error.

Pantheistae sunt, qui Deum ab hac rerum universitate minime distinguunt, et qui proinde Deum verbis confitentur, re autem ipsa tollunt. Antiquissimus est hic error tempore Stratonis Lampsaceni jam natus, et apud Stoicos admodum pervulgatus, ad quorum mentem canebat Cato apud Lucanum:

Jupiter est, quodcumque vides, quodcumque movetur.

A Spinoza adoptatus.

Fuit postea diversis temporibus iterum suscitatus, potissimum vero a Benedicto Spinoza, qui illum in sua *Ethica* methodo geometrica disponere, ac demonstrare conatus est, quamquam ita obscure, ut hic au-

ctor non minus, quam Heraclitus σκοτεινός cognominari possit. Id autem de industria eum fecisse multi suspicantur, ut purum, putumque materialismum, quem propagare intendebat, tenebris obvolveret (*).

§. XXII.

Et quatuor propositionibus comprehensus.

Quatuor autem sunt Spinozistici Systematis propositiones capitales. *I. Praeter Deum nullam dari substantiam. II. Hanc substantiam, quae una est, omni perfectionum genere esse donatam, maxime vero extensione, et perceptione. III. Omnia totius universi entia nihil esse aliud, quam istius substantiae modificationes, et attributa.* Demum, *cum haec substantia*, quam Spinoza Deum vocat, *necessaria sit, omnia debere in mundo absoluta necessitate evenire, nullamque proinde esse contingentiam, et libertatem.*

§. XXIII.

Qui tamen nihil est aliud, quam materialismus.

Si autem detracta larva nudam hujus systematis faciem videre quis cupiat, verum Atheorum materialismum luculenter inveniet, nempe haec unica substantia Spinozae non est nisi materia improducta, quam abusu nominis Deum vocat: omnia hujus mundi entia sunt hujus substantiae modificationes, non ad Pantheistarum mentem, qui ea putabant esse emanationes Dei, quem etiam quasi animam mundi constituebant, sed quia omnia entia ex diversa particularum materiae combinatione resultant. Quando autem materiae praeter extensionem tribuit etiam perceptionem, id facit, ut animos nostros, quibus vim intelligendi, ac volendi negare non poterat, ex hac substantia formatos esse statueret. Quidquid tamen sit de Atheismo Spinozae, eum non minus, ac veteres Pantheistas satis confutabimus ostendendo, Deum esse ab hac rerum universitate omnino diversum.

(*) Mirabile nonnullis videtur, non obstante hac Spinozae systematis obscuritate, non paucos ipsi adhaesisse, quos memorat Bruckerus in *Hist. crit. Phil.* tom. IV. P. ult. pag. 697. sed qui norunt aevi nostri corruptionem, et Pseudo-philosophorum artes, facile intelligunt, magis ab impiis amari tenebras, quam lucem.

§. XXIV.

Confutatur Pantheismus ex ratione.

Et sane si hujus universi entia non sunt a Deo diversa, sed merae ejusdem modificationes, illud consequetur maximum absurdum, omnia, quae rebus hujus mundi contingunt, ipsi Deo proprie esse tribuenda: actiones enim, et passiones non modificationibus, sed subjectis proprie tribuuntur: sic non dicimus cogitationem cogitare, sed animum; nec divisibilitatem esse divisibilem, sed materiam: adeoque si elementa, plantae, animalia, homines, et cetera hujus mundi entia non sunt nisi Dei modificationes, quaecumque iis accidunt, Deo tamquam subjecto proprie tribui oportebit; ut proinde Deus sit divisibilis in corporibus extensis, indivisibilis in punctis inextensis, cognitionis expers in lapidibus, sentiens in brutis, rationis compos in homine, una modificatione sapiens, alia stupidus, bonus simul, et malus, reus, et judex, crimen et poena: immo cum scelestus homo plectitur, sub diversis modificationibus erit Deus, et scelus, et reus, et judex, et tortor, et patibulum ipsum; quo quid dici potest absurdius?

§. XXV.

Qua contra Pythagoram usus est Cicero.

Idipsum Pythagorae olim objiciebat Cicero Lib. VI. *de natura Deorum* cap. 10., scilicet cum diceret Deum *animum esse per naturam rerum omnem intentum, et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidisse, distractione humanorum animorum discerpi, et lacerari Deum, et cum animi miseri essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram.* Id autem ipsum multo potiori jure ex Spinozistico systemate oritur, quo non solum statuitur, Deum esse animam mundi, sed insuper additur, omnia hujus mundi entia non esse nisi divinae substantiae modificationes. Vid. S. Augustinus Lib. 4. de *Civit. Dei* cap. 12. et seq.

§. XXVI.

Confutatur alia ratione.

Praeterea certum est, uni, eidemque subjecto non posse duas contrarias modificationes convenire; ex. gr. non possumus concipere eandem cerae massam esse simul quadratam, et rotundam, eandem aquae

guttam frigidam, et calidam: sed si unica est in hoc universo substantia, eaque simplex, et indivisibilis, ut Spinoza contendit P. I. *Ethices* Prop. 15. in Scholio, necesse omnino erit, eidem non solum plures, et diversas, sed etiam omnino contrarias, et oppositas modificationes convenire, ut eodem tempore sit quadrata, et rotunda, mobilis, et immobilis, sensus, ac cognitionis expers, et sentiens, atque intelligens etc., ut nulla unquam chimaera magis repugnans a Poetis fingi potuerit.

§. XXVII.

Ac demum quia tollit libertatem.

Multo plura ἄτοπα, et absurda ex impio Spinozae systemate fluere a viris eruditis demonstratum est; sed illud plane intollerabile, quod tamen ipse minime diffitetur, fatalem scilicet, et adamantinam induci in rebus omnibus necessitatem; qua semel posita nullus amplius virtuti, aut vitio erit locus, nullus praemio, aut poenae, laudi, aut vituperio, quibus tamen contineri societatem humanam omnibus persuasum est; ut nihil dicam de religione, cum eam tollere omni conatu Spinoza contenderit.

§. XXVIII.

Objectio ex S. Litteris.

Ex ipsis tamen sacris Litteris conati sunt aliqui Pantheistica deliria confirmare, quia S. Paulus Rom. XI. v. ult. de Deo inquit: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*; et rursum Act. XVII. 28. *In ipso vivimus, et movemur, et sumus*; ubi etiam laudat hemistichium Arati Pythagorei, subdens: *Sicut et quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus*; quo videtur S. Paulus Pantheisticum systema approbasse.

§. XXIX.

Solutio.

Verum cum sacrae Litterae infinitis in locis Deum nobis exhibeant, ut hujus universi creatorem, conservatorem, et gubernatorem, insuper tamquam ens ab omni materiae concretione purissimum, immutabile, immortale, et omni perfectionum genere cumulatissimum, ut infra videbimus, quis ita desipiat, ut ex iis probari posse somniet, Deum non esse ab hac rerum universitate diversum? Apostolus autem, cum dicit: *ex ipso esse omnia*, nihil aliud vult,

quam a Deo omnia esse creata : cum addit : *omnia per ipsum*, Deum indigitat omnia gubernantem ; ac demum addens : *omnia in ipso* (vel potius, ut graecus textus habet, *omnia in ipsum* εἰς αὐτόν) significat, omnia in Deum, tamquam in finem esse referenda. Praeclare S. Bernardus serm. 4. *in Cant. Esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt, quod est ille, sed quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : esse ergo est omnium, quae facta sunt ; ipse factor eorum, sed causale, non materiale.*

§. XXX.

Cum autem idem Apostolus ait : *nos in Deo vivere, et moveri*, ostendit, Deum ad omnes nostras actiones concurrere ; ac denique cum addit, *nos Dei genus esse*, nobilem hominis originem indigitat, qui factus est ad imaginem, et similitudinem Dei. Neque vero refert, quod ad hoc comprobandum hemistichium illud Poetae allegat (*) ; neque enim credendum est, etiam sensum gentilis Poetae fuisse a Paulo omnino adoptatum, sed ea parte duntaxat, quae ad ejus scopum spectabat ; quod clare indigitat subdens : *Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare, auro, aut argento, aut lapidi sculpturae artis, et cogitationis hominis Divinum esse simile.*

§. XXXI.

Quomodo nonnulli Patres sunt intelligendi, praecipue Origenes.

Eodem fere modo explicari debent quaedam sanctorum Patrum testimonia, quae prima fronte videri possent Pantheistis patrocinari ; cum tamen nihil aliud velint, nisi intimam illam Dei virtutem explicare, qua omnia conservat, regit, ac movet. Sane

(*) Certum non est, ad hoc hemistichium Arati digitum intendisse S. Paulum ; nam 1. loquitur in plurali numero: *sicut quidam vestrorum Poetarum dixerunt.* Deinde P. de Magistris in dissert. 3. *Apologiae sententiae Patrum de LXX. virali versione* annexa suae editioni Danielis secundum LXX. putat illud hemistichium fuisse ex Cleanthe desumtum. Videri etiam potest Christophorus Wolfius in *curis Philologicis ad Novi Foederis libros historicos.*

Origenes, qui potissimum allegari solet, in Lib. II. *de Princ.* cap. I. postquam dixisset, *universum mundum veluti animal quoddam immensum, atque immane quasi ab una anima virtute Dei, ac ratione teneri*, se melius explicans subdit: *quomodo enim in Deo vivimus, et movemur, et sumus, nisi quod virtute sua universum constringit, et gubernat mundum?*

§. XXXII.

Et Dionysius vulgo Areopagita.

Sic etiam explicatur a S. Thoma Lib. I. *contra Gentil.* cap. 26. illud Dionysii dictum *de coel. Hierarch.* cap. 4. *esse omnium, est supersubstantialis Divinitas*; quod nempe Divinitatis quaedam similitudo in omnibus reperiatur. Ceterum ipse Dionysius in cap. 11. *de Divin. Nomin. Dei*, inquit, *neque tactus, neque aliqua commixtio est ad res alias, sicuti est puncti ad lineam, vel figurae sigilli ad ceram.*

§. XXXIII.

Objectio ex ratione.

Potissima fundamenta erroneae suae opinionis Spinoza in ratione posuit, atque in eo praecipue, quod, cum Deus sit substantia infinita, omnem aliam substantiam excludere debeat; quemadmodum si unum esset corpus mole sua infinitum, nullum aliud esse posset corpus ab eo diversum.

§. XXXIV.

Solutio.

In quo tamen argumento peccavit Spinoza ex falsa Dei infinitatis idea, quasi scilicet Deus infinitum realitatum numerum in se contineat; cum tamen non alia ratione Deus infinitus dicatur, nisi quia omnes possibiles perfectiones entis non *formaliter*, sed sublimi quodam, et eminentiori modo in se contineat. Immo observante S. Thoma Lib. I. *contra gentiles* cap. 25. Deus proprie *substantia* dici non potest, quia in nullo genere continetur, sed potius dici posset ὑπερίστως, seu ens quoddam *supersubstantiale*. Vid. etiam S. Doctor in cap. seq. ubi hanc Spinozae difficultatem multo antea praeoccupavit.

§. XXXV.

Et retorsio contra Spinozam.

Exemplum autem corporis a Spinoza adductum, si bene res consideretur, potest contra ipsum retorqueri; nam in hypothesi etiam corporis infiniti extensione sua omnia loca occupantis, nihil prohibet, quin imaginemur alia entia non extensa, ut sunt spiritus, aut perceptiones, volitiones etc., quae simul cum corpore illo infinito consistere possent. Sic etiam Deus immensitate sua omnia spatia replet; nec tamen impedit, quin aliae quoque res corporeae, et incorporeae in iisdem spatiis inveniantur.

§. XXXVI.

Deus ab aliis rebus differt, aut potius diversus est.

Sed molestius sciscitatur Spinoza, quomodo Deus possit ab aliis rebus differre, cum summa ejus simplicitas omnem differentiam excludat? Huic quaestioni I. respondemus, differentiam se tenere ex parte creaturarum, quae imperfectae sunt, arctisque limitibus circumscriptae, Deus autem ens purissimum est, et infinitum. Praeterea observat acutissime S. Thomas Lib. I. *contra Gentiles* cap. 7. aliud esse *differentiam*, aliud *diversitatem*. *Differentia* in iis est, quae in aliquibus conveniunt, non autem in omnibus; sicuti duae species conveniunt in genere, differunt in aliis. *Diversitas* autem in iis est, quae in nullo genere conveniunt, et in istis non oportet esse aliquam *differentiam*; sicuti ridiculum foret *differentiam* quaerere inter rationale, et irrationale. Deus igitur potius a creaturis diversus esse, quam differre proprie dicendus est; accurate enim loquendo, ens infinitum, nihil habet cum ente finito commune, et univocum.

§. XXXVII.

Quarum tamen perfectiones continet.

Neque vero quis inde colligat, si creaturae sunt a Deo distinctae, Deum simul cum creaturis aliquid esse majus, quam sine ipsis. Non inquam, quidquid enim perfectionis est, aut excogitari potest in creaturis, reperitur etiam in Deo, sed modo diverso, et excellentiori, seu ut loquuntur Scholastici *virtualiter*, *eminenter*, non autem *formaliter*.

§. XXXVIII.

Alia Spinozae ratio desumitur ex definitione substantiae, qua *illud intelligitur, quod in se est, et per se concipitur*; *hoc est, cujus conceptus non indiget conceptu alterius, a quo formari debeat* (I. P. *Ethices* defin. 3.). Posita autem hac definitione concludit Spinoza, substantiam esse ens necessarium, atque omnino independens, cujusmodi nihil esse potest praeter Deum. Alia objectio.

§. XXXIX.

Hoc tamen merum sophisma est, quod facile solvitur observando, substantiam dici posse ens *in se, vel per se subsistens, et quod per se concipitur*, quia non indiget subjecto, cui inhaereat, et a quo sustentetur, quemadmodum indigent accidentia; non autem quasi a nulla causa effectrice dependeat, quemadmodum non dependet Deus, qui solus est ens a se, et omnino necessarium. Et contra Spinozam, et Pantheistas satis multa pro nostro instituto. Solvitur.

Scholion. Addimus cum S. Augustino in Ps. 85. *Intendat Caritas vestra, Deus ineffabilis est: facilius dicimus, quid non sit, quam quid sit: terram cogitas, non est hoc Deus: mare cogitas, non est hoc Deus: omnia, quae sunt in terra, homines, et animalia, non est hoc Deus: omnia quae sunt in mari, quae volant per aerem, non est hoc Deus: quidquid lucet in caelo, stellae, sol, et luna, non est hoc Deus: ipsum coelum, non est hoc Deus: Angelos cogita, Virtutes, Potestates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes, non est hoc Deus. Et quid est? hoc solum potui dicere, quid non sit. Quaeris, quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?* Conclusio.

CAPUT V.

In quo sita sit essentia divina?

§. XL.

Duplex Div. essentiae constitutivum, physicum, et metaphysicum.

Deum cujusmodi est in se, nemo mortalium sine lumine gloriae novit, aut noscere potuit; *habi at enim lucem inaccessibilem* I. Timoth. VI. 17. Hinc commune Theologorum proloquium, nos in hac vita potius cognoscere, quid non sit Deus, quam quid sit; eum autem nos cognituros speramus in patria, quando videbimus eum, sicuti est. His tamen non obstantibus Theologi quaerere solent, quid humana ratio divina revelatione adjuta de Dei essentia statuere possit. Et primo duplex distinguere solent divinae essentiae constitutivum, aliud *physicum*, aliud *metaphysicum*.

§ XLI.

Quid essentia Dei physica?

De *physica* Dei essentia nulla est, aut esse potest controversia; nimis enim manifestum est, eam in cumulo infinito omnium perfectionum sitam esse; et nemo est, qui nomine Dei non intelligat ens in omni genere perfectissimum. Sed immensa propemodum controversiarum seges sese offert, quando quaeritur, quid sit essentia Dei *metaphysica*, seu quid illud primum sit, quod veluti ceterorum omnium attributorum radicem in Deo concipimus; qua in re placet breviter praecipuas recensere sententias.

Quid metaphysica?

§. XLII.

Variae Theolog. opiniones.

Scoti sectatores essentiam Dei in *infinitate radicali*, seu exigentia omnium perfectionum communiter fere reponunt. Thomistae bifariam dividuntur. Quidam enim contendunt, quod primum in Deo concipitur, esse existentiam a se, seu *aseitatem*, et independentiam, alii vero putant esse *in ellectionem*. Sed hi rursus inter se dissentiunt; nam alii intellectionem *actualem* pro Dei essentia constituunt, alii *radicalem* solum.

§. XLIII.

Prima sententia Thomistarum videtur sacris Litteris magis consentanea; Deus enim interrogatus a Moyse, quis esset? respondit: *Ego sum, qui sum.* Exodi III. 14. Est etiam magis consentanea SS. Patribus (quorum testimonia quamplurima collegit Petavius Lib.I. *de Deo* cap. 6.), ac demum S. Thomae, qui I. P. Q. 13. art. 11. hoc nomen, *qui est*, maxime proprium Dei esse docet. Denique ratio ipsa huic sententiae suffragatur. Quid enim quaeso intelligi, aut cogitari in Deo potest *aseitate* prius? Omnia etiam Dei attributa ex hoc quasi principio dimanare facile concipiuntur; nam quod a se ipso est, nullamque habet sui causam, nullo modo definiri aut circumscribi potest, sed esse debet omni perfectionum genere cumulatissimum. Sed de his plus quam satis.

Essentia Dei metaphysica sita est in *aseitate*.

CAPUT VI.

De divinis Attributis, eorumque infinitate.

§. XLIV.

Divina attributa nihil aliud sunt, quam nomina de Deo proprie praedicata; solent autem in tres classes dispertiri; nam alia *absoluta* sunt, quae a S. Gregorio Nazianz. Orat. 31. *potestatis nomina* appellantur; alia sunt relativa *ad intra*, seu ad divinas Personas; alia demum sunt relativa *ad extra*, seu ad res creatas. De absolutis primo loco agemus; deinde de relativis *ad intra*, seu de Trinitate; ac denique in parte IV. ea explicabimus attributa, quae ad res creatas referuntur, ut sunt creatio mundi, ejus conservatio, ac gubernatio. Ea autem, quae ad Dei visibilitatem pertinent, in postrema Theologiae parte opportuniorem locum invenient.

Attributa divina, eorumque divisio.

§. XLV.

Nonnulla tantum hic sunt cum Angelico Praeceptore generaliter observanda. Primo. Attributa aliqua Dei dici posse *positiva*, alia *negativa*. *Positiva*, seu *affirmativa* ea sunt, quae ipsam Divinam sub-

Attributa alia *positiva*, alia *negativa*.

stantiam significant quibusdam quasi affectionibus, et proprietatibus praeditam, ut cum dicitur Deus *bonus*, *verus*, *omnipotens* etc., quibus verbis non significatur tantum, Deum carere malitia, falsitate, aut impotentia; ut R. Moyses Ægyptius Lib. 1. cap. 58. arbitratus est; sed his nominibus aliquas veras perfectiones Deo tribuimus. Contra vero cum dicimus Deum *immortalem*, *impassibilem*, *infallibilem* etc., solum negamus has imperfectiones ullo modo Deo tribui posse.

§. XLVI.

Positiva proprie Deo conveniunt quantum ad rem significatam, non quantum ad modum.

Secundo. In attributis affirmativis Dei distinguere debemus rem significatam a modo significandi. Res significata proprie competit Deo, ut bonitas, justitia, etc.; et magis proprie, quam creaturis: quantum vero ad modum significandi proprie non competunt Deo; nos enim hujusmodi nomina concipimus, prout ea creaturis convenire videmus; certum est autem, ea longe excellentiori modo Deo convenire, quam creaturis.

§. XLVII.

Perfectiones duplicis generis.

Tertio. Perfectiones in creaturis aliae sunt simplices, et purae ex sua saltem ratione, et vocantur a Scholasticis *simpliciter simplices*, ut bonitas, veritas etc.; aliae ex ipsa sua ratione aliquam imperfectionem involvunt, et dici solent *secundum quid* tales, ut ratiocinari, videre, sentire. Primae sunt in Deo *formaliter*, sed infinito modo excellentiores; aliae vero nonnisi *eminenter*.

§. XLVIII.

Divina attributa infinita.

Postremo observandum breviter est divinis attributis non minus, quam Dei essentiae competere infinitatem; sicut enim Deus dicitur infinitus, ita quoque infinita est ejus sapientia, infinita bonitas, justitia etc. Et quamquam mens nostra pro modulo suo attributa certo numero concludit, intelligit tamen, ea multo plura esse, immo plane infinita (*).

(*) Ut in multis aliis, ita in hoc impius fuit Hobbesius, qui nullam aliam Deo tribuit infinitatem, quam relativam,

§. XLIX.

Neque vero ex quo Deus infinitas habet perfectiones, colligi potest, nullas amplius in creaturis perfectiones superesse; nam quemadmodum supra contra Spinozam dicebamus (§. 34.) licet Deus sit ens infinitum, alia tamen entia non excludit, ita perfectiones divinae eas non excludunt, quae etiam in creaturis inveniuntur a Deo participatae, quaeque in Deo continentur non *formaliter*, sed *eminenter*.

Quae tamen non tollunt creaturarum perfectiones.

§. L.

Et rursus ex quo in creaturis aliquae inveniuntur perfectiones a Dei perfectionibus diversae, nemo inferat, Deum simul cum creaturis esse aliquid perfectius, quam Deum solum. Nam quidquid perfectionis in rebus creatis est, invenitur in Deo, sed modo longe superiore, et infinito, cui proinde nulla fieri potest additio non solum reipsa, sed neque cogitatione, et fictione nostra.

Nec Deus cum creaturis est aliquid melius.

Scholion. S. Augustinus in Ps. CXLIV. considerans illa verba, quae ad Dei infinitatem referuntur: *Magnus Dominus, et laudabilis valde, et magnitudinis ejus non est finis*: *Noli*, inquit, *te putare eum, cujus magnitudinis finis non est, sufficienter posse laudare . . . . Illius magnitudo sine fine est, et tua laudatio sine fine sit.*

---

in eo sitam, quod mens nostra divinae essentiae, ejusque attributorum fines percipere nequeat; unde in Lib. *de cive* cap. 15. §. 14. ita infinitum definit: *Quando dicimus aliquid esse infinitum, non aliquid in re significamus, sed impotentiam tantum in animo nostro; tamquam si diceremus, nescire nos an et ubi terminetur*; quasi scilicet possit reipsa aliquibus finibus Deus comprehendi, qui tamen quales sint, et ubi sint, a nobis ignoretur: unde Deus infinitus sit respectu nostrae intelligentiae, non autem in se ipso.

CAPUT VII.

De Dei Unitate.

§. LI.

Quid Polytheismus, et quot Deorum classes apud Ethnicos.

Qui plures Deos statuunt, graeco vocabulo *Polytheistae* vocantur; et mirum est, quantum hic error utut absurdissimus ante Christi adventum grassatus fuerit. Non una tamen erat apud veteres Deorum classis; nonnulli enim homines ob praeclare gesta in Divorum numerum apotheosi referebantur, ut Hercules, Castor et Pollux, Æsculapius etc. Alii erant Dii majorum gentium, inter quos praecipui colebantur Jupiter, quem coelo, et terrae praeesse putabant, Neptunus, cui mare tributum, Pluto denique qui tristes caliginis umbras regere credebatur. Inter has duas classes infinitus propemodum erat aliorum Deorum numerus; ita ut Eusebio teste Lib. V. *Praeparat. Evang. cap.* 15. triginta, et amplius Deorum millia ab Hesiodo recensita fuerint.

§. LII.

De Dualistis.

Multi etiam inter Christianos accusantur, quod pejus caeca gentilitate delirantes Deorum pluralitatem invexerint. Celebris est in Historia Ecclesiastica illorum haeresis, qui duos effinxerunt Deos, alterum bonum, bonique auctorem, et principium, alterum malum, a quo omnium malorum originem repetebant. Hunc putidissimum errorem a veteribus Philosophis ethnicis primus mutuatus est inter Christianos Cerdo Sec. II., quem postea secuti sunt Marcion, et Apelles, ac tandem Manichaei Sec. III., de quibus postremis praecipue consulendus est S. Augustinus, eo majori fide dignus, quod huic pestilentissimae haeresi plures annos implicitus fuit, eamque postea luculentissimis scriptis invicte confutavit (a). De-

Et Tritheitis.

(a) Beausobrius *Hist. des Dogmes des Manichées* Lib. 3. ch. 3. omnem movet lapidem, ut Manichaeos, Marcionem, Cerdonem, Apellem, aliosque hujus furfuris haereticos a Polytheismi crimine liberet. Quis tamen majorem

mum in Polytheistarum censum veniunt etiam Tritheitae, qui tres divinas Personas totidem esse Deos natura diversos commenti sunt (*). Contra hos omnes unitas Dei vindicanda a nobis est.

§. LIII.

Et quidem contra Haereticos, qui Scripturarum infallibilem veritatem nobiscum adorant supervacaneum plane videtur multa earum testimonia in medium afferre; ad hunc enim potissimum scopum utriusque Testamenti paginae fere collineant, ut unicum Deum agnoscamus, eique soli cultum, honorem, et gloriam tribuamus. Deuter. XXXII. 39. *Videte*, inquit Deus, *quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me.* Ps. LXXXII. *Tu solus altissimus in omni terra.* I. Corinth. VIII. 4. *Scimus quia nihil est Idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus.* Ephes. IV. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et Pater omnium.* Quod si aliquando plurium Deorum in iis mentio fit, vel falsi gentilium Dii commemorantur, ut I. Corinth. VIII. 5., vel nomen Dei improprie sumitur, ut in Ps. LXXXI.

Dei unitas probatur ex SS. Litteris.

§. LIV.

In hac autem capitali veritate demonstranda multis rationibus contra gentiles usi sunt veteres Ecclesiae Patres, atque ea imprimis, quae ex ipso nomine Dei sua sponte fluit: Dei enim nomine intelligimus ens perfectissimum, quo maius nec esse, nec cogitari potest; jam vero, si plures admittantur Dii, vel unus habebit omnem illum perfectionum cu-

Deinde ex rationibus.

---

fidem ei prudenter adhibeat, quam Augustino, Epiphanio, Theodoreto, Tertulliano, aliisque Ecclesiae Patribus, qui cum ejusmodi pestibus manus cominus conseruerunt? Adisis perdoctum Beausobrii castigatorem P. August. Ant. Georgium *in Alphabeto Tibetano* pag. 169.

(*) Hujus sectae auctor communiter dicitur Joannes quidam genere Alexandrinus, arte Grammaticus; a studiorum autem assiduitate dictus *Philoponus*, qui ultra annum Christi 608. vitam protraxisse creditur. Res tamen difficultate non caret, cujus examen aliis relinquimus.

mulum, quem habet alter, vel non: si non habet, non erit ejus perfectissimum: si autem habet, ita ut uterque sit par, et aequalis, tunc neuter erit Deus, cum neuter sit ens omnium perfectissimum. Hinc pervulgata illa Tertulliani, aliorumque Patrum sententia, *pluralitatem Deorum esse nullitatem Deorum*, et Polytheismum reipsa ab Atheismo non differre.

§. LV.

Aliam rationem suppeditat Angelicus, ab antiquis Patribus pariter acceptam: si essent plures Dii, oportet eos differre: aliquid ergo conveniret uni quod non alteri; et sic ille cui aliquid deesset, non esset omnino, et undequaque perfectus. Quae ratio maxime valet contra Dualistas, qui imperium inter Deum bonum, et malum dividentes neutrum omnipotentem esse fateri cogebantur, adeoque nec Deum.

§. LVI.

Demum ex Philosophorum consensu.

Accedit postremo etiam veterum Philosophorum consensus, qui licet, ut plebis multitudini morem gererent, pluribus Diis sacrificabant, nimia tamen evidentia convicti unicum esse supremum Numen confitebantur. Hoc adductis veterum Poetarum, et Philosophorum testimoniis demonstrarunt Athenagoras, Justinus, aliique nostrae Religionis Apologistae. Atque ut alia omittam, celebre est illud Maximi Tyrii Philosophi Platonici dictum in Orat. I.: *In hac tanta pugna, contentione, atque opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum, atque opiniones convenire videbis; Deum esse unum, regem omnium, et patrem, huic multos additos esse Deos alios, qui supremi illius filii sunt, atque in imperio collegae. In eo graecus cum barbaro, mediterraneus cum insulano, sapiens consentit cum stulto* (*).

(1) Hoc argumentum magna eruditione tractarunt praeter nonnullos alios Daniel Huetius *in concordia rationis, et fidei* Lib. II. cap. 2. n. 13. et Radulp. Cudworthus *in system. mundi intellectuali* cap. 4. Praecesserat eos S. Thomas Lib. I. *contra Gentiles* cap. 42. Observandum est ta-

§. LVII.

Qui duo rerum principia statuebant, his fere sacrae Scripturae testimoniis abutebantur. Ecclesiastici XXXIII. 15. *Contra malum bonum est ... duo contra duo, et unum contra unum.* Et cap. XLII. 25. *Omnia duplicia, unum contra unum.* Similiter Amos III. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Et II. Corinth. IV. 4. *Deus hujus seculi excaecavit mentes infidelium.* Ac denique Joan. XII. 13. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Objectiones ex Sacris Litteris.

§. LVIII.

Male tamen illorum verborum sensum percipiebant; nam in iis Ecclesiastici locis nihil aliud designatur, nisi in hoc mundo unicuique bono opponi malum, sive ex hominum perversitate, sive ex justa Dei punitione; unde etiam in primo loco dicitur: *Contra malum bonum est, et contra mortem vita, et contra virum justum peccator: et sic intuere in omnia opera Altissimi duo contro duo, et unum contra unum.* Verba autem Amos intelligenda sunt de malis poenae, quae Deus Judaeis propter eorum scelera infligebat. Hinc Isaiae XLV. 6. dicit Deus: *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum.* Solvuntur.

§. LIX.

Alia duo Novi Testam. loca ad diabolum referuntur, qui dicitur *Deus hujus seculi* propter eos, qui seculariter viventes ei serviunt, eo modo, quo Apostolus de quibusdam dicebat Philipp. III. 19.: *quorum Deus venter est.*

---

men, multos veterum Philosophorum Dei unitatem admisisse sensu Pantheistico dicentes ἐν τὸ πᾶν. Propterea hoc argumentum ex veterum consensione petitum id tantum probat, ipsos Philosophos vel Noachica traditione, vel naturali ratione convictos fuisse, plures non posse esse Deos, quamvis in vera Divinitate agnoscenda erraverint.

§. LX.

Difficultas ex origine mali.

Maxima in hac re difficultas oritur ex malis culpae, quorum origo recte explicari non potest, ut Dualistae putant, nisi admisso malo principio, a quo omnia mala sint, quemadmodum omnia bona sunt a bono principio. Hacc certe difficultas non veterum modo, sed etiam recentiorum semper torsit ingenia. Verumtamen quaecumque ea sit, nos minime conturbare debet: 1. Quia unitas Dei nimis certis, et evidentibus argumentis confirmata est: certum autem, et evidens, ab incerto, et obscuro, cujusmodi est origo mali, tolli, et labefactari non potest. 2. Quia Dualistae, ut hanc evitent difficultatem, in multo majores, et inextricabiles se conjiciunt, quarum capitalis haec est, ut cogantur duo admittere summa principia, finita tamen, et limitata, ac secum invicem pugnantia, quod est utrumque tollere: ac praeterea, cum mala moralia superent bona, dicendum esset, Deum malum longe fortiorem esse, quam bonum. Procul itaque ablegato Deo, seu principio malo, malorum omnium causa non nisi a nostro libero arbitrio est repetenda, quod potestate sua abutens ab incommutabili bono deficit (*).

§. LXI.

Duae instantiae Dualistarum.

Sed istant hic acriter Dualistae. I. Deus praevidens hominem libero arbitrio abusurum, utpote infinite potens, et bonus, aut non debuisset arbitrium ipsum tanta cum pernicie homini donare; aut eum talibus,

(*) Praeclara est hac in re observatio S. Augustini, qui Lib. 12. *de civit. Dei* cap. 7. *Nemo*, inquit, *quaerat efficientem causam malae voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio. Deficere namque ab eo, quod summe est, ad id, quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porro effectionum istarum, quum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire tale est, ac si quispiam velit videre tenebras, vel audire silentium: quod tamen utrumque nobis notum est, neque illud, nisi per oculos, neque hoc nisi per aures, non sane in specie, sed in speciei privatione.*

ac tantis fulcire praesidiis, ut illo non abuteretur; quemadmodum bona mater, aut filio non praeberet ensem, quo sibi nocere posset, aut saltem omni studio praecaveret, ne sibi nocere vellet. II. Cum malum divinae bonitati directe opponatur non apparet, quomodo Deus illud permittere possit; praecipue cum ipsa permissio, causa saltem moralis ejusdem mali videatur; sicuti reus homicidii habetur, qui illud non impedit, impedire cum possit.

§. LXII.

Solvitur prima.

Prima difficultas solvitur observando Deum potuisse homini tribuere liberum arbitrium, quo ipsum male usurum praeviderat, atque etiam hunc liberi arbitrii abusum permittere propter majora bona, quae ex hac malorum permissione Dei sapientia, et omnipotentia elicere novit. *Neque enim Deus omnipotens*, inquit S. Augustinus *in Enchiridio* cap. 11., *cum summe bonus sit ullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut bene faceret etiam de malis.* Et infra cap. 27. *Melius judicavit de malis bene facere, quam nulla mala esse permittere.* Exemplum autem matris, et id genus alia non sunt ad rem, quia ut S. Thomas observat I. P. Qu. 22. art. 2., aliter de eo est, qui habet curam alicujus particularis, aliter de provisore generali; quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curae subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius.

§. LXIII.

Quaenam bona Deus ex malorum permissione eliciat.

Neque vero molestius quis sciscitetur, quaenam sint illa majora bona, quae ex permissione mali Deus elicit. Nam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus; et quamquam nos semper appareant illa majora bona, quae Deus ex malorum permissione extrahit, ratio tamen ipsa nos edocet, nihil a Deo summe bono, sapiente, et omnipotente fieri, aut permitti posse, quod in ejus gloriam non cedat. Aliquando tamen ipsi revelare nobis placuit quaedam bona occasione malorum ab ipso facta, cujusmodi fuerunt miracula Moysis propter in-

durationem Pharaonis; gloria Martyrum, et mira propagatio Religionis christianae ex persecutione Tyrannorum; ac ut de aliis multis sileam, maximum, et ineffabile divinae Incarnationis bonum occasione lapsus Adami effectum est.

§. LXIV.

Solvitur altera difficultas.

Alteri autem difficultati occurrimus dicendo, Deum permittere posse mala, quin aliquod eju sanctitati detrimentum afferatur; quia Deus non tenetur impedire mala, neque ratione sui, cujus felicitati nihil omnino obsunt; neque ratione hominum, quibus nihil debet. Homo vero permittens homicidium, illius causa moralis censetur, quia illud ex legibus societatis, in qua vivit, quoad potest, impedire tenetur. Verum quidem est, Deum velle omnium hominum felicitatem, ad quam eos in ipsa creatione ordinavit. Sed etiam verum est, hanc hominum felicitatem non esse ultimum divinae voluntatis finem; omnia enim Deus propter se ipsum, et propter gloriam suam creavit; quam suam gloriam non minus in permissione mali, quam in procuratione boni Deus manifeste consequitur. Et de hoc difficili argumento satis (*).

§. LXV.

Difficultas ex malis physicis et metaphysicis.

Non ita difficilis est solutio alterius difficultatis, quam ex malis hujus mundi physicis, et metaphysicis urget, multumque exaggerat Baelius. Nam I. multas observat in rebus hujus mundi imperfectiones, quae mala metaphysica vocantur, quia ipsas rerum naturas veluti intrinsece afficiunt. II. Multo plura sunt mala physica, quae Deus bonus posset, et deberet impedire, nisi Dei mali nequitia, et po-

---

(*) De quo innumeri fere auctores tum veteres, tum recentiores erudite tractarunt. Illud tamen cavendum esse puto, quod nonnulli incaute scripserunt, Deum mala impedire non potuisse, nisi non concedendo nobis liberum arbitrium. Hoc falsum esse ostendit S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 98., eos desipere ajens, qui negant, hominum voluntates a Deo in bonum converti, et in bono conservari non posse.

tentia obstaret. Hujusmodi sunt grandines, alluviones, terrae motus, incendia, fames, lues, et ceterae calamitates, quibus non solum mali, sed etiam justi, immo et ipsa animalia nullius certe criminis conscia saepissime opprimuntur.

§. LXVI.

Solvitur quantum ad mala metaphysica.

Sed ut dixi, haec difficultas facile expeditur. Nam quantum ad mala metaphysica, seu imperfectiones, quae rerum creatarum naturam consequuntur, haec neque a Deo bono, neque a ficto Deo malo proveniunt, sed ex eo, quod res sint ex nihilo extractae; hoc enim ipso omnium possibilium perfectionum capaces non sunt, atque adeo semper imperfectae necessario erunt. Ceterum omnia a Deo creata in suo genere bona, et perfecta sunt; habent enim eum perfectionis gradum, quem Deus ea habere voluit ad perfectionem, et pulchritudinem universi, cui vel ipsa corruptio rerum omnino necessaria est. Neque putandum est, aliqua esse in rerum natura imperfecta, vel inutilia, quia eorum usum, et utilitatem non percipimus; sed potius cum videamus tantam aliarum rerum pulchritudinem, atque utilitatem, ratio nobis persuadere debet, et reliqua omnia habere sibi debitam perfectionem, suaque utilitate non carere, quamvis nos noctuis similes eam non videamus. Praeclare S. Augustinus Lib. XI. *de civit. Dei* cap. 22. *Nos admonet*, inquit, *divina providentia non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere; et ubi nostrum ingenium, vel infirmitas deficit, ita credere occultam, sicuti erant quaedam, quae vix potuimus invenire.*

§. LXVII.

Et etiam quantum ad mala physica.

Mala autem physica peccatorum nostrorum ac praecipue originalis poenae sunt; certissime enim credendum est, nullas futuras fuisse in hoc mundo calamitates, si nullum fuisset peccatum, nam sub Deo justo nullus innocens miser esse potest. Videri potest S. Thomas 1. 2. Q. 85. art. 5. Nec movere nos debet, quod hujusmodi calamitatibus boni aeque ac mali premantur, immo nonnunquam boni magis, quam mali; iis enim utitur Deus,

ut boni sicut aurum in fornace a quarumdam imperfectionum veluti scoria purgentur, majoremque in caelis mercedem, et gloriam acquirant; ut enim inquiebat Apostolus, *momentaneum, et leve tribulationis nostrae, aeternum gloriae pondus operatur in coelis*. II. Cor. IV. 17. Quantum autem attinet ad brutorum dolores, et mortem, jam multo antea S. Augustinus hanc difficultatem diluerat Lib. III. *de lib. arbit.* n. 69. inquiens: *Inordinatissime flagitari, ut nec mortem, nec ullam corruptionem patiantur corpora bestiarum, quasi non sint mortalia, cum sint infirma, aut ideo mala sint, quia sunt caelestia* (corpora) *meliora. Dolor autem, quem bestiae sentiunt, animarum etiam bestialium vim quandam in suo genere mirabilem, laudabilemque commendat* (*).

Scholion. Dei unitas a nobis utiliter creditur, si Deo soli serviamus, prout Christus ipse nos docuit Matth. IV. 10. allegans illa verba Deuter. VI. 13. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*; parum autem nobis prodesset, Deum unum credere, et debitum illi honorem non reddere; similibus enim dicebat Christus Luc. VI. 46. *Quid autem vocatis me Domine Domine, et non facitis quae dico?* et Matth. VII. 21. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum*. Illi ergo, quem solum verum Deum credimus, sit etiam *honor*, *et gloria in secula seculorum*. *Amen*. Rom. ult, v. ult.

(*) De hac quaestione innumeri propemodum auctores accurate, copioseque egerunt. Inter veteres maxime commendari merentur S. Augustinus in variis suis operibus contra Manichaeos, praecipue autem in libris *de libero arbitrio*, et S Thomas I. P. Q. 49. art. 3.; inter recentiores autem utilissimus erit P. Thomas Maria Cerboni Tom. I. *Theol. Natur.* quaest. 4., ubi omnes Baelii cavillationes ex doctrina S. Augustini erudite juxta, et solide refellit.

CAPUT VIII.

De superstitioso plurium Deorum cultu.

§. LXVIII.

Superstitio quid?

Definiente S. Augustino Lib. 2. *de doct. Christ.* cap. 20. *Superstitiosum est, quidquid institutum est ab hominibus ad facienda, et colenda idola pertinens, vel ad colendam sicut Deum creaturam*; qua definitione S. Pater primam complectitur superstitionis speciem, quae est idololatria; alia enim superstitionis species est, qua verus Deus colitur, sed modo indebito, ut supra vidimus I. P. Isagogica §. 3.

§. LXIX.

De origine idololatriae.

Quaenam autem fuerit hujus superstitionis idololatricae origo, non ita facile determinari potest. Absurdissima tamen sine dubio eorum opinio fuit, qui teste Lactantio Lib. II. *Divin. Inst.* cap. 14. *Deorum cultum ab exordio rerum fuisse contendebant, et priorem esse Gentilitatem, quam Dei Religionem.* Vid. quae diximus I. P. Isag. §. 44. Missa itaque hac paradoxa opinione, putant nonnulli idololatriam primo fuisse ab Enos ante diluvium invectam; illa enim verba Geneseos IV. 46. *Iste coepit invocare nomen Domini* ex hebraico textu לקרא בשם יהוה אן הוחל ita interpretantur: *tunc coepit profanari nomen Domini*; cui tamen interpretationi repugnat S. Augustinus Lib. 15. *de civit. Dei* cap. 18. et fatentibus eruditis de tempore antediluviano nihil certi determinari potest.

An ante diluvium coeperit?

§. LXX.

Quomodo post diluvium statim propagata?

Sed paulo post diluvium non minus certum, quam mirabile est, veram Dei religionem, quam Noe filiis, ac nepotibus suis purissimam sine dubio tradidit, fuisse fœda superstitione corruptam, adeo ut, si Josepho fides est Lib. 1. *Antiquit. Judaic.* cap. 7., Abraham (cujus nativitas contigit eo tempore, quo mortuus est Noe, scilicet anno 350. post diluvium) *primus ausus sit declarare, unum esse Deum*

rerum omnium opificem. Certe S. Augustinus Lib. 16. *de civit. Dei* cap. 13. asserere non dubitavit, *domum Thare persecutionem passam fuisse a Chaldaeis pro vera pieta'e, qua unus, et verus ab eo colebatur Deus* (*). Ab eo autem tempore ita vanus idolorum cultus longe, lateque grassatus est, ut Cicero vere dicere potuerit Lib. 2. *de Divinat.* cap. 72. *Superstitio fusa per gentes oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit.* Et quamquam aliquibus ope sanioris Philosophiae, vel etiam ex antiquae traditionis vestigiis de unitate Dei persuasum foret (§. 56.), iidem tamen ipsi, quasi torrentis impetu rapti, falsis Numinibus cultum adhibere non verebantur; donec tandem Deus diabolicum regnum *per altissimam Christi humilitatem, per Apostolorum praedicationem, per fidem Martyrum pro veritate morientium, et cum veritate viventium, non solum in cordibus religiosis, verum etiam in aedibus superstitionis libera suorum servitute subvertit.* Verba sunt S. Augustini Lib. 4. *de Civit. Dei* cap. 30.

(*) Interpretes fere communiter sentiunt, Thare patrem Abraham fuisse idololatrica superstitione implicitum, propter illa verba Josue XXIV. 2. *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, et Nachor, servieruntque Diis alienis.* Sed huic fere communi opinioni nuper sese opposuit vir aevo nostro longe doctissimus Alexius Mazochius *Spicileg. Bibl.* Tom. 2. pag. 121., ostendens, eam pugnare cum iis, quae leguntur *Judith V.* 7. scilicet Israelitas exiisse ex terra Chaldaeorum, *quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldaeorum* etc.: quod de Thare patre Abraham dictum fuisse colligitur ex *Gen. XI.* 21. Itaque versum illum Josue ita intelligendum putat, ut ea verba: *servieruntque Diis alienis*, conjungantur cum aliis prioribus: *Trans fluvium habitaverunt patres vestri*: verba autem media: *Thare Pater Abraham, et Nachor*, intra parenthesim poni debeant, non ad indicandum, Thare serviisse Diis alienis, sed quod genus Hebraeorum fuerit transamnicum, non solum ex parte patris, sed etiam ex parte matris; quia Thare non solum fuit pater Abraham, unde Hebraei paternum genus trahebant, sed etiam fuit pater Nachor, unde maternam originem ducebant.

§. LXXI.

Non uno tamen modo caeca gentilitas in superstitioso idolorum cultu peccabat, ut S. Thomas observat 2. 2. Qu. 94. art. 1. Quidam simulacra manufacta ut Deos colebant; quod adeo multis sacrae Scripturae locis declaratur, ut mirum sit, id potuisse ab OEcolampadio, Calvino, aliisque heterodoxis negari. Id luculenter asserit Jeremias cap. II. 27. *Dicentes ligno: pater meus es tu, et lapidi, tu me genuisti*: Isaias autem idololatrarum insaniam ita pulchre describit XLIV. 13. et seq. *Artifex lignarius . . . . sumpsit ex eis* (lignis) *et calefactus est, et succendit, et coxit panes: de reliquo operatus est Deum, et adoravit: fecit sculptile, et curvatus est ante illud, medium ejus combussit igni . . . reliquum autem ejus Deum fecit, et sculptile sibi: curvatur ante illud, et adorat illud, et obsecrat dicens: libera me, quia Deus meus es tu.* Idem habetur Sapientiae XIII. 11., et sequ. Quod postea imitatus est Horatius, ita lepide idololatras suos irridens Lib. 1. Sat. 8. Idololatrae quaedam simulacra ut Deos adorabant.

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum: Deus inde ego.

Nota est etiam historia, quam Diogenes Laertius Lib. 3. de Stilpone narrat, ipsum fuisse ad Areopagitas delatum, quod statuam Minervae a Phidia sculptam Deum esse negaret, poenam autem effugisse facete dicendo, negasse se statuam esse Deum, quoniam esset Dea (*).

§. LXXII.

Alii autem ex idololatris adeo absurda sibi effingebant numina, ut vel ipsis gentilibus emunctioris naris stomachum, vel risum moverent. Audiatur tantisper Juvenalis, qui Sat. 15. ita Ægyptios irridet: Alii minus absurdi, non tamen sapientes.

Quis nescit . . . . qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat

(*) Adi-sis eruditam *Deorum gentilium historiam* Lilii Gregorii Gyraldi, et P. Balthum *dans les suites de la réponse à l'Histoire des oracles etc.*

Pars haec, illa fovet saturam serpentibus Ibin;
Effigies sacri hic nitet aurea Cercopitheci.
Porrum et cepe nefas violare ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis
Numina! etc.

§. LXXIII.

Alii minus absurdi, non tamen sapientes.

Demum alii erant minus quidem absurdi, non tamen vere sapientes, qui statuis, et imaginibus utebantur dumtaxat ad falsas suas Divinitates colendas; in eo enim gravissime peccabant, quod divinos honores Saturno, Jovi, Apollini, Marti, Junoni, Veneri, Baccho, aliisque hujusmodi mendacibus Numinibus tribuebant, cum homines mortales hi omnes fuerint, et quidem multis, magnisque criminibus polluti. Immo, quod magis absonum erat, iis ipsis, postquam erant in Deos relati, adulteria, furta, odia, aliaque infanda scelera tribuebantur.

§. LXXIV.

Quos tamen omnes Scriptura condemnat.

Operae pretium non est, idololatriae vanitatem, immo et absurditatem pluribus refutare, quam Scriptura sacra ubique condemnat; praecipue autem S. Paulus Roman. I. 23. et seq., ubi de omnibus idololatris ita concludit: *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturae potius, quam creatori, qui est benedictus in saecula. Amen.* (Vid. P. I. *Isagog.* cap. VI.)

Scholion. Catholicae religionis dogmata aut ignorant, aut ignorare se fingunt, qui nos similis idololatriae accusant, quod sanctos, eorumque reliquias, aut imagines colamus. Nam primo hos Sanctos non uti Deos nos colimus, sed ut servos et amicos Dei. Secundo fuerunt omnes pietate insignes, non sceleribus polluti, ut Dii Gentilium. Tertio quantum ad imagines, non in iis fiduciam ponimus, quemadmodum fiebat a Gentilibus, sed honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa. Denique Concilium Trident. sess. 25. (quae lectu dignissima est) omnem cautionem adhibendam esse praecepit, *ut omnis superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, et imaginum sacro usu tollatur.*

§. LXXV.

Idololatria non est pejor atheismo.

Quamquam vero idololatria scelus gravissimum sit, maximeque detestabile, non tamen Baelio concedendum est, illam esse atheismo pejorem. (*) Nam primo vel ipso primo aspectu patet, eos multo pejus errare, qui omnem divinitatem tollunt, cujusmodi sunt Athei, quam qui illam saltem in genere, et ex parte cognoscunt, ut Idololatrae. Deinde isti aliquod Numen supremum, quodcumque illud sit, venerantes, ab illo et bonorum operum praemium sperant, et malorum poenam metuunt; quo fit, ut aliquos saltem habeant virtutem sectandi, fugiendique vitia stimulos. Athei contra, qui omnem divinitatem aut penitus ignorant, aut praefracte negant, nihil habent metuendum, aut sperandum, nisi ab hominibus, unde etiam in vitia procliviores sunt. Subtiles, et acutas, quibus Baelius falsum suum systema probabile efficere conatus est, rationes expendere non vacat; quod alii plurimi praestiterunt, id etiam observantes, non alia de causa Baelium superstitionem prae atheismo condemnasse, nisi ut istius, in quem propensus erat, horrorem minueret.

CAPUT IX.

De Dei immutabilitate.

§. LXXVI.

Prob. ex sacris Litteris.

Hoc attributum, quo Deus idem, qui ab aeternitate fuerat, semper perseverat, et pluribus in

(*) Id primo tueri nisus est Baelius in opere *Pensèes diverses sur les comètes* §. 133. deinde *dans la continuation des pensèes* §. 65., et alibi, contendens, atheismum non necessario ducere ad corruptionem morum; societatem hominum atheorum ex solis honestatis legibus subsistere posse; atheismum non esse maximum malorum; ac demum illi suos non deesse martyres. Porro innumeros Baelius nactus est adversarios, praeter Jurium implacabilem ejus hostem, qui ipsum atheismi postulavit; neque immerito, ut plerisque viris doctissimis visum fuit.

locis sacrae Litterae praedicant. Malachiae III. 6. *Ego Dominus, et non mutor.* Num. XXIII. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Et in Epist. S. Jacobi cap. I. 17. *Apud quem* (Deum) *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

§. LXXVII.

Et ex ratione.

Ratio quoque naturalis id ipsum luculenter ostendit. Cum enim Deus sit *ens a se* (§. 43.), ab aliis causis mutari non potest, quia a nulla alia causa dependet, ut sit; neque a se ipso, quia sibi non dedit esse. Neque etiam mutatio in Deo intelligi potest per novam alicujus perfectionis acquisitionem, vel amissionem; quandoquidem ens a se semper habere debet omnem possibilem perfectionem. Nec demum mutatio in Dei voluntate intelligi potest; tum quia Deus est semper in actu, et numquam in potentia; quo fit, ut quod modo vult, semper a tota aeternitate voluerit, et semper volet, tum etiam quia haec voluntatis mutatio aliquam imperfectionem in Deo notaret, quae ipsi magis repugnat, quam tenebrae soli.

§. LXXVIII.

Est attributum solius Dei.

S. Thomas 1. P. qu. 9. art. 2. recte observat, immutabilitatem non solum Deo convenire, sed etiam ita esse ipsius proprium attributum, ut nulli alteri conveniat; creaturae enim primo sunt mutabiles quantum ad esse, saltem ratione divinae potentiae, a qua, quemadmodum ex nihilo extractae sunt, ita possunt in nihilum redigi: secundo ratione finis, a quo deficere possunt, vel per se ipsas, si libero polleant arbitrio, vel per vim superioris agentis: demum creaturae sunt mutabiles quantum ad dissolutionem partium, si sint corporeae, vel saltem quantum ad innumera accidentia, quae substantiis etiam incorporeis superaddi possunt, vel tolli: unde concludere possumus cum S. Augustino Lib. 12. *de civ. Dei* cap. I. *Incommutabile bonum non esse nisi unum verum beatum Deum: ea vero, quae fecit, bona quidem esse, quod ab illo; verumtamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt.*

§. LXXIX.

Dei immutabilitatem soli, quod sciam, inficiari visi sunt Sociniani, putantes posse Deum sua decreta mutare. Petrus autem Jurius, qui hunc errorem in nonnullis Ecclesiae Patribus sibi adinvenisse visus est, fuit ab immortali *Bossueto* pro meritis castigatus VI. *Avertiss. aux Protestans* Art. 2. Neque obstant quaedam Scripturae loca, in quibus Deo ira, poenitentia, tristitia, aliaeque id genus affectiones tribuuntur, quae sine aliqua mutatione intelligi nequeunt; haec enim omnia metaphorice explicari debent ratione effectuum, non autem proprie. Quinam hoc Dei attributum negaverint.

§. LXXX.

Gravior videtur alia difficultas, quae ex rerum creatione desumitur. Si enim ab aeterno Deus mundum non condidit, factus est in tempore creator, cum antea non esset, quod sine mutatione intelligi nequit. Quae tamen difficultas illico tollitur, si consideramus, Deum omnia creasse solo imperio suae voluntatis: *dixit, et facta sunt.* Porro hunc voluntatis actum a tota aeternitate habuit, eodemque actu simul voluit, ut mundus existeret in tempore, vel potius cum tempore, unde tota mutatio est in mundo, qui existere coepit, cum antea nihil esset: non in Deo, qui idem semper fuit, semperque voluit. Vid. S. Augustinus Lib. 12. *de civit. Dei* cap. 17., ubi post multa in hanc rem egregie disputata ita concludit: *Deus una, eademque sempiterna, et immutabili voluntate res, quas condidit, et ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt.* Deus in creatione rerum non est mutatus.

§. LXXXI.

Idem porro dicendum de mysterio Incarnationis, in quo sola natura humana assumpta, mutata fuit, non persona divina, cui nulla facta est perfectionis accessio, unde mutata dici possit. Neque in Incarnatione.

CAPUT X.

De Dei aeternitate.

§. LXXXII.

Quid aeternitas fit.

Si quod est Dei attributum captu, et explicatu difficile, certe est ipsius aeternitas, cum claram, distinctamque aeternitatis notionem nobis ipsis efformare non valeamus. Celebris, et apud Scholasticos omnes recepta est definitio aeternitatis, quam tradit Boethius Lib. 5. de *consolat. Philos.* prosa 6., quod sit *interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio.* (*) Quam definitionem ut explicet S. Thomas I. P. qu. 10. art. 1. observat, quod sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per composita, ita in cognitionem aeternitatis oportet nos venire per tempus, quod nihil aliud est, quam numerus motus secundum prius et posterius. In eo autem, quod caret motu, et semper eodem modo se habet, non est accipere prius ac posterius; atque ideo sicut ratio temporis consistit in numeratione prioris, et posterioris in motu, ita in apprehensione uniformitatis ejus, quod est omnino extra motum, consistit ratio aeternitatis. Sed praestat ipsum S. Thomam adire, qui in art. cit. et seq. rem hanc fusius explicat.

§. LXXXIII.

Prob. aeternitas Dei sensu exposito.

Ex quo igitur supra (cap. praeced.) demonstratum est, Deum esse immutabilem, sequitur etiam eum intelligi debere sine ulla prorsus successione, aut temporis continuatione, cui proinde nihil sit praeteritum, nihil futurum, sed omnia praesentia; et cujus nullum sit initium, nullus finis; in quo proprie ratio aeternitatis consistit.

(*) Et ante Boethium S. Augustinus Serm. 2. in Ps. 102. *Æternitas ipsa Dei substantia est, quae nihil habet mutabile: ibi nihil est praeteritum, quasi jam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit; non est ibi, nisi est.*

§. LXXXIV.

Refutatur notio aeternitatis successivae.

Sed alii, qui claras, distinctasque ideas ubique quaerunt, aeternitatem esse volunt durationem successivam, seu tempus infinitum, aut infinitam momentorum sibi succedentium seriem (*). Haec tamen opinio, quae clarior primo aspectu videri potest, multis magnisque est obnoxia difficultatibus. In hac enim hypothesi infinita modo praeteriissent secula, et multo plures anni, menses, dies, horae, ac momenta; quibus tamen omnibus nova quotidie fieret additio: atque adeo sequeretur, unum infinitum esse majus altero, atque aeternitati, quae fluxit, aliquid quotidie addi: quae omnia cum idea infiniti, et aeternitatis pugnant. Sequeretur insuper, aeternitatem, quae fluit, modo habere finem, eamque, quae subsequitur, initium, ita ut hoc momentum praesens duas veluti divideret aeternitates: quae omnia, cum manifeste absurda sint, praestat antiquam aeternitatis notionem retinere, utut obscuram, et captu difficilem.

§. LXXXV.

Prob. aeternitas Dei quocumque sensu accipiatur.

Sed quidquid sit de notione aeternitatis, haud difficile est probare, Deum esse aeternum. Nam 1. ipsi Athei fatentur, aliquid a tota aeternitate fuisse; si enim semel fingatur, nihil aliquando fuisse, jam intelligi nullo modo poterit, repente hanc rerum universitatem extitisse. 2. Hoc, quod a tota aeternitate fuit, a nulla causa produci potuit; est ergo ens a se. 3. Hoc ens a se debet esse necessarium; si enim contingens fuisset, potuisset esse, et non esse, adeoque debuisset ab aliqua causa determinari ad esse potius, quam non esse, quod non cadit in ens a se, utpote quod nullam agnoscit causam sui esse. Demum ens necessarium semper fuisse, semperque esse debet. Deus ergo, qui ens a se, et necessarium est, est etiam aeternus.

(*) Socinus in *Praelect.* cap. 8. ita confidenter statuit: *tempus aeternum est, quidquid Theologi nostri contra disputent, semperque et fuit, et futurum est*; atque in camdem sententiam Episcopius, Vostrius, Limborchius, aliique Arminiani descenderunt.

§. LXXXVI.

Quae soli Deo convenit. Ex quo etiam patet aeternitatem soli Deo convenire; solus enim ut fine, ita et principio caret: creaturae autem etiamsi aeternum sint duraturae, proprie tamen aeternae dici non possunt, quia principium habuerunt. Quamobrem S. Augustinus Tract. 23. in Ioan. explicans ea verba Apostoli I. Timoth. VI. 16. *Qui solus habet immortalitatem*: *Quid ergo est*, inquit, *quod ait Apostolus de Deo, nisi quia hoc aperte dixit: solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram aeternitatem?*

§. LXXXVII.

Non autem materiae. COROLLARIUM. Ex his patet, turpiter errasse 1. Hermogenem, aliosque haereticos, qui materiam aeternam, Deoque coaevam admittebant, quorum error eo intolerabilior erat errore veterum Philosophorum eandem materiae aeternitatem statuentium, quod illi praeter lumen rationis revelationem etiam habebant, ex qua materiae creationem, et initium facile cognoscere poterant, ut inferius demonstrabimus (P. IV. cap. I.). Nec spatio. 2. Qui spatium aliquid positivum, infinitum, increatum, atque aeternum esse dixerunt, vehementer reprehenduntur, quod aliquid praeter Deum aeternum esse confinxerint (*). Neque mundo. 3. Multo absurdius errant, qui mundum hunc, qualis nunc est, aeternum, Deoque coaevum esse fabulantur; multis enim, et perspicuis argumentis id falsum esse suo loco ostendemus.

CAPUT XI.

De Dei Simplicitate, et Spiritualitate.

§. LXXXVIII.

De natura Dei incorporea. Deum esse ab hac rerum universitate diversum, contra Spinozam, et Pantheistas supra demonstratum est cap. IV. Nunc de ejus simplicitate agentes, il-

(*) Videri possunt P. Moniglia Ord. Praed. in Dissert. *contra Materialistas* Tom. 2. sect. 1. et seq., Antonius Genuensis *Elem. Metaph.* P. 1. Propos. 86. edit. Ven. 1753., et Hoocke *Relig. natur. princ.* P. 1. sect. 2. art. 2.

lorum errorem confutabimus, qui Deum corporeum esse effutiebant, quem errorem mirum est, etiam inter eos grassari potuisse, qui Dei essentiam non naturali solum lumine, sed etiam ex superna revelatione perspectam habere debebant.

§. LXXXIX.

Errores recensentur.

Et quidem 1. Sadducaei, celebris inter Judaeos secta, cum spiritum omnem negarent Act. XIII. 8. satis probabiliter sibi corporeum Deum effingebant; quorum deliria aliqui aetate nostra renovare conati sunt (*). 2. Manichaei Dei naturam in aeterno quodam lumine constituebant, quibus, observante P. Aug. Ant. Georgio in *Alphab. Tibet.* P. I. n. 102. etiam Tibetani consentiunt, populi scilicet Tartariae Sinensis Septentrionalis, eademque fuit Valentinianorum opinio, teste S. Epiphanio Haer. 33. 3. Multo celebrior in Ecclesia fuit Anthropomorphitarum Secta, quae aetate Origenis jam invaluerat, et Deum sub hominis imagine colebat. His addimus etiam Socinianos, et Arminianos, qui etsi Deum incorporeum esse fateantur, Anthropomorphitarum tamen errorem condemnare non audent (**). Immo Beausobrius *Hist. des Dogm. de Manichèes* Lib. 3. cap. 2. hanc quaestionem de Dei Spiritualitate ἀδιάφορον esse, neque ad fidem pertinere, nonnullis argumentis evincere conatus est.

§. XC.

Dei simplicitas excludit

Verum Deum esse ab omni materiae concretione immunem, atque adeo ens simplicissimum, innume-

(*) Inter alia Hobbesii impiæ paradoxa hoc etiam fuit, ut Deum corporeum esse dixerit; qua de re videri potest Jac. Bruckerus in *Hist. Crit. Phil.* tom. 4. part. 2. ubi agit de Thoma Hobbesio. Hunc ipsum absurdissimum errorem nuper renovavit auctor Libri *Essai d' un systême noveau sur la nature des ètres spirituèls* etc. a Neufchatel 1742. vol. 4. in 8., ubi auctor non solum Angelos, animumque nostrum, sed ipsum etiam Deum ad corporum extensorum classem redigere impio conatu tentavit.

(**) Ita in Catech. Cracoviensi cap. I., et praeter alios Arminianos Conr. Vorstius in not. ad disput. 2. *de natura Dei.*

omnem materiae compositionem. mera fere Scripturae loca ostendunt. Isaiae XI. 17. *Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* ut scilicet intelligamus, Deum nulla posse corporea imagine exhiberi, quia purus spiritus est. His Isaiae verbis consonant illa Apostoli Pauli

Quia Deus Spiritus est. dicentis Act. XVII. 29. *Non debemus aestimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturae artis Divinum esse simile.* Expresse autem in aliis locis Deus vocatur spiritus. II. Corinth. III. 17. *Dominus, spiritus est*; et apud S. Joan. IV. 24. Christus inquit: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare*; quibus in locis nomen *spiritus* sumi per contrapositionem ad corpus ostendit Origenes Lib. I. *de Principiis* cap. 1.; tum ex consuetudine Scripturae, quae spiritum opponit materiae; tum etiam ex scopo Christi, qui mulierem Samaritanam edocebat, Deum esse adorandum in spiritu, quia spiritus est.

§. XCI.

Et quia infinitus, immensus, et trinus in personis est. Accedit, ea passim in scriptura Deo attribui, quae intelligi nullo modo possent de Deo corporeo, ut sunt infinitas, et immensitas; quis enim corpus infinitum, et immensum sibi imaginetur? ut nihil dicam de mysterio Trinitatis, in quo tricorporeum Deum fingere deberemus, si Deus corpus esset.

§. XCII.

Id ipsum Ecclesia definivit. Accedit demum et judicium Ecclesiae. Nam 1. in Concilio Lateranensi IV. cap. *Firmiter* ita expresse definitum fuit: *Una est Dei essentia, substantia, seu natura, simplex omnino.* 2. Anthropomorphitae ut haeretici in Ecclesia habiti sunt; nam S. Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium eorum opinionem *stultissimam haeresim* appellat. *Stultam sententiam* appellat pariter Theodoretus Lib. 4. *haeret. fabul. cap.* 10. S. Augustinus *Haer.* 10., et 86. Anthropomorphitas in haereticis numerat, nec alia ratione Tertullianum ab haeresi excusari posse dicit, nisi quia *potuit putari propterea corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas.* Cassianus autem *Collat.* 10. cap. 2. et seq. Anthropomorphismum appellat *ineptam haeresim, gravem errorem, qui in perpetuae mortis discrimen injiciat, et gentilem blas-*

phemiam ab omnibus detestandam. Denique ne infinitus sim, Philastrius, Epiphanius, Damascenus, Isidorus, et Rhabanus in suis catalogis haereticorum etiam Anthropomorphitas recensent. Haec omnia aut ignorare, aut flocci facere oportet eos, qui Anthropomorphismum tolerari posse putant.

§. XCIII.

Quae ex Scrip. Anthropomorphitis favere videntur.

Aliqua tamen loca sacrarum Litterarum videntur Anthropomorphitis prima fronte favere. Nam Geneseos I. 27. dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*; quae verba S. Irenaeus de carne interpretatur, *quae est plasmata*, inquit Lib. V. cap. 5., *secundum imaginem Dei.* Irenaeum autem sequuntur Clemens Alex., Philastrius, et Paulinus Nolanus. Praeterea in sacris Litteris tribuuntur Deo oculi, manus, et cetera hominis membra. Demum Jobi XI. 8. tribuitur Deo extensio. *Excelsior caelo . . . profundior inferno . . . longior terra mensura ejus, et latior mari:* extensio autem sine corpore esse nequit.

§. XCIV.

Explicatur, quomodo homo sit factus ad imaginem Dei.

Quantum ad primum resp., Imaginem Dei in anima hominis, quae spiritualis est, proprie relucere; unde S. Ambrosius in Ps. 118. *invisibilis Dei imago*, inquit, *non in eo est, quod videtur, sed in eo utique, quod non videtur.* Quod etiam indicat S. Paulus *Coloss. III.* 10., volens imaginem Dei esse in anima per gratiam santificantem renovata: *Induentes*, inquit, *novum* (hominem) . . . . *secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Aliqui tamen Patres laudata verba Geneseos etiam ad corpus retulerunt, habita scilicet ratione naturae humanae, quam Deus assumturus erat. Hinc Tertullianus *de resurrect. carnis* cap. 16. de homine inquit: *ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi.* Immo eorum aliqui opinati sunt, Deum humana forma assumta creasse hominem; quae sententia postea placuit etiam Steucho Eugubino Sec. XVI.

§. XCV.

Quo sensu tribuantur Deo membra?

Ubi autem in sacris Litteris Deo tribuuntur hominis sensus, aut membra, id nonnisi metaphorice in-

telligendum est; nam in aliis locis idipsum Deo denegatur, ut Job X. 4. *Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, et tu videbis?* Sic etiam Deo denegatur extensio III. Regum VIII. 27. *Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? si enim coelum, et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam aedificavi?* Ac denique, ut supra vidimus, Scriptura sacra claris, rotundisque verbis Deum *Spiritum* appellat.

Scholion. Praeclare S. Bernardus serm. 4. *in Cant. Sed enim*, inquit, *et os habet Deus, quo docet hominem scientiam; et manum habet, qua dat escam omni carni; et pedes habet, quorum terra scabellum est, ad quos nimirum peccatores terrae conversi, atque humiliati satisfaciunt. Haec inquam habet Deus omnia per effectum, non per naturam.* Praeclara est etiam illa ratio contra Anthropomorphitas apud Theodoretum q. 22. in Gen. Si enim Deus dicendus esset similis homini, quia homo ejus ad imaginem formatus est, deberet homo septem oculos habere, quia Zach. IV. 10. dicitur: *Septem oculi sunt Domini*: et insuper habere pennas, et alas, quae in Psalmis Deo tribuuntur.

§. XCVI.

Ex quo Deus dicatur Spiritus

Neque audiendi sunt, qui spiritus nomine non rem prorsus incorpoream, sed corpus tenuius, ac subtilius, cujusmodi sunt venti, intelligendum putant; quo sensu etiam S. Gregorius Nazianz. Orat. 34. dicebat, *spiritum sine motu, et diffusione intelligi non posse, quae duae proprietates corporum sunt.*

§. XCVII.

Non sequitur eum habere corpus.

Non inquam sunt audiendi; non enim ex eo dumtaxat colligimus, Deum esse incorporeum, quod Spiritus in sacris Litteris appelletur; sed etiam ex eo, quod dicatur infinitus, immensus, trinus in personis etc., quae omnia Deo corporeo convenire non possunt. Tum etiam quod Spiritus appelletur per oppositionem ad corpus, ut Joan. IV. 24., ac denique quia communis haec fuit sanctorum Patrum in-

terpretatio, inter quos S. Gregorius Nazianzenus orat. 35. multis, atque invictis rationibus Deum esse incorporeum ostendit.

§. XCVIII.

Neque vero molestius quis sciscitetur, quid proprie spiritus sit; facile enim respondemus, esse substantiam omnis materiae expertem; quid autem proprie in se sit, nos ignorare fatemur cum S. Jo. Chrysostomo Hom. 2. in epist. ad Hebr., ubi postquam dixisset, nos multa de Deo loqui, quae intelligere non valemus, ponit exemplum spiritualitatis Dei, inquiens: *Quod* (Deus) *sit vis quaedam incorporea, omnium bonorum causa, scimus; quomodo autem sit, aut quaenam sit, nescimus.*

Quid proprie spiritus sit, ignoratur.

§. XCIX.

Sed quid detrimenti, inquit Beausobrius, Religio capiet, si Deus corporeus esse credatur? immo Cassianus refert Collat. 10. cap. 3. Abbatem Serapionem, cum ad ejurandum Anthropomorphismum adactus fuisset, ita in oratione fuisse mente turbatum, *ut in amarissimos fletus, crebrosque singultus repente prorumpens, in terramque prostratus cum ejulatu validissimo proclamarit, heu me miserum! tulerunt a me Deum meum, et quem nunc teneam, non habeo, vel quem adorem, aut interpellem, jam nescio.* Error itaque iste innoxius est, et facile tolerabilis.

An error Anthropomorph. sit innoxius?

§. C.

R. Abjecta semel Dei entis simplicissimi, et perfectissimi idea, poterit aliquis per varias consecutiones praecipua Religionis nostrae mysteria, immo ipsam Dei existentiam tollere. Testis hac in re sit S. Augustinus, qui Lib. V. *confess.* cap. 10. ingenue non minus, quam humiliter fatetur, maximam, et prope solam erroris sui causam fuisse, *quoniam cum de Deo cogitare vellet, cogitare nisi moles corporum non noverat*. Quod si aliqui Anthropomorphitae cum hoc errore veram in Deum pietatem conjunxerunt, hoc divinae potius speciali providentiae tribuendum est, quam opinionis indifferentiae. Ceterum Abbas Isaac, apud Cassianum loco citato, Serapionis per-

Ostenditur esse Religioni perniciosum.

turbatione se a recta sententià dimoveri passus non est, dicens: *Si quis fuerit catholicis dogmatibus institutus* (Anthropomorphismum) *ut gentilem blasphemiam detestabitur*; *et ita ad illam orationis purissimam perveniet qualitatem, quae non solum nullam Divinitatis effigiem, sed nec lineamenta corporea* (*quod dictu quoque nefas est*) *in sua supplicatione miscebit* (*).

§. CI.

Aliqui Anthropomorphitae tolerati, et cur?

Non inficiamur quidem, aliquos Anthropomorphitas fuisse in Ecclesiae gremio ut Catholicos toleratos; sed causam reddit S. Augustinus *Haer.* 50. nimirum eorum *simplicitatem*, *et rusticitatem*, seu ignorantiam, quae ipsorum errorem quodammodo excusabilem reddebat. Sic etiam Lib. 12. *confess.* cap. 27. de similiter errantibus ait: *In quibus adhuc parvulis animalibus, dum isto humillimo genere verborum tanquam materno sinu eorum gestatur infirmitas, salubriter aedificatur fides, qua certum habeant, et teneant, Deum fecisse omnes naturas etc.*

(*) Hinc etiam est, quod S. Augustinus *de fide, et symbolo* cap. 7. nefas esse putavit, simulacrum Dei Patris in templis collocare; quod nonnullos alios Patres sensisse ostendit Lud. Thomassinus Lib. 12. *de Incarn.* cap. 9.; ubi tamen observat §. 22. *pingendi, sculpendique arte repraesentari posse eas apparitiones, quibus se Deus olim exhibuit; aliud est enim Deum pingi fingive, aliud apparitionem aliquam Dei*, quia in hujusmodi apparitionibus non Deus pingitur, sed illa *symbola*, sub quibus Deus apparere dignatus est, et concludit, hodiernam Ecclesiae pietatem a priscis regulis non exorbitasse, quia *non imagines propriam Dei naturam repraesentantes, sed symbola quaedam ejus perfectiones mystice, et umbratice singnificatia* in templis poni permittit. Unde etiam intelligi potest, quo sensu ab Alexandro VIII. damnata fuerit illa propositio n. 25. *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est in templo Christiano collocare*; qua de re videri quoque potest Catechismus Rom. de *Primo praecepto Decal.* cap. 3. n. 20., et Synodus Trident. Sess. 25. in decr. *da sacris imagin.*, ubi inquit: *Quod si aliquando historias, et narrationes sacrae Scripturae, cum id indoctae plebi expedit, exprimi, et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel ooloribus, aut figuris exprimi possit.*

§. CII.

Multa hic disputari solent de Melitone, Tertulliano, Audio, et S. Epiphanio, qui Anthropomorphismi suspicione laborarunt. Nos rem paucis perstringemus. Ac primum de Melitone. An Melito Anthropomorphitis accensendus sit?

§. CIII.

Melito Sardensis in Lydia Episcopus Sec. Ecclesiae II. magna doctrinae, et sanctitatis laude floruit. Eum Polycrates *Spiritu S. afflatum* appellat apud Eusebium Lib. 5. *Hist. Eccl.* cap. 24.; sed Origenes, apud Theodoretum Quaest. XX. *in Exodum* eum accusat, *quod scripta reliquerit de eo, quod Deus corporeus sit*; eundemque errorem illi tribuit Gennadius *de Eccl. Dogm.* cap. 4. Qui Melitonem ab hoc errore purgare satagunt, dicunt, Origenem hallucinatum esse ex titulo alicujus libri, quem Melito inscripsit περί ενσωμάτε Θεόν, quasi de Deo corporeo in eo ageretur, cum tamen liber ageret, *de Deo incarnato*. Sed quis asserere audeat, Origenem nonnisi titulum illius operis, non autem opus ipsum vidisse?

§. CIV.

Major, et difficilior est inquisitio de Tertulliano. S. Augustinus Lib. X. *de Gen. ad Litt.* cap. 25. de eo sic habet: *Corpus esse animum credidit* .... *nec de Deo voluit aliter sapere*; et Epist. 190. ad Optatum, mirandum non esse ait, si Tertullianus animam corpoream dixerit, *qui etiam ipsum creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur*. Idem tamen S. Augustinus *de Haeres.* cap. 86. ita Tertullianum excusat: *Animam dicit immortalem quidem, sed eam corpus esse concedit: neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum. Nec tamen hinc haereticus dicitur factus, posset enim quoquo modo putari ipsam naturam, substantiamque divinam corpus vocare; non tale corpus, cujus partes aliae majores, aliae minores valeant, vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quae proprie dicimus corporea; quamvis de anima tale aliquid sentiat. Sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non* An Tertullianus?

est animae, vel corporis qualitas, sed ubique totus etc. Hinc recentiores de Tertulliani sententia inter se valde disputant, et res incerta videtur.

§. CV.

An Audius? Res minus incerta est de Audio, vel Audaeo, qui sec. IV. ab Ecclesia cum pluribus asseclis se separavit, et Schismaticorum Episcopus factus est. Anthropomorphismi accusatur a Theodoreto Lib. IV. *haeret. fabul.* cap. 10. a S. Augustino Haer. 50. et a Facundo Hermianensi Lib. 8. cap. 7. Et quamvis S. Epiphanius Audianis nonnisi schisma objiciat; eos tamen etiam Anthropomorphismi luto infectos innuit dicens: *Nam quod ad imaginem Dei creatus Adamus dicitur, praefracte illi referendum ad corpus existimant.*

§. CVI.

S. Epiphanius Anthropomorphitis non adhaesit. Sed quidquid sit de istis, immerito certe S. Epiphanius Anthropomorphismi accusatur. Nam I. hanc a se calumniam ipse depulit teste S. Hieronymo in Lib. cont. Joan. Jerosolymit. num 11.: cum enim Joan. Jerosolymitanus in publica concione contra Anthropomorphitas habita hujus erroris Epiphanium suspectum facere voluisset, surrexit Epiphanius, et coram tota Ecclesia, *Cuncta*, inquit, *quae locutus est collegio frater, aetate filius meus contra Anthropomorphitarum haeresim, bene, et fideliter locutus est, quae mea quoque damnatur voce.* II. S. Epiphanius Audianos refutat *Haeresi* 70. et contra eos concludit: *Spiritus Deus est, qui omnem spiritum exsuperat.* Demum summis laudibus a Hieronymo, Augustino, aliisque celebratus est, tanquam vir non solum pietate, sed etiam doctrinae puritate celebris.

§. CVII.

Nec fides hac in re habenda est Socrati, et Sozomeno. Hinc fit, nullam fidem adhibendam esse Socrati Lib. 6. cap. 10., et Sozomeno Lib. 8. cap. 14. Epiphanium Anthropomorphismi accusantibus; uterque enim, ut recte suspicatur Valesius, deceptus ab Origenistis fuit, quibus solemne erat Origenis magistri sui adversarios Anthropomorphismi accusare, quasi ideo Origenes damnatus ab iis fuerit, quia Deum

incorporeum esse praedicabat, quo nihil falsius dici potest. Vid. Natalis Alexander in sec. IV. cap. 6. art. 28.

§. CVIII.

Monitum S. Augustini.

Et de Dei incorporea natura satis, illud solum addentes S. Augustini monitum Tract. 96. *in Joan.* num. 4. *Charissimi in charitate proficite . . . non enim intelligitur, quod penitus ignoratur; sed cum diligitur, quod ex quantulacunque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione, aut melius, et plenius cognoscatur . . . . ut ea ipsa, quae didicistis, et credidistis de natura Dei non corporea, nec loco aliquo inclusa, nec per infinita spatia locorum, quasi mole distenta, sed ubique tota, et perfecta, et infinita, sine nitoribus colorum, figuris lineamentorum, sine notis litterarum, sine serie syllabarum ipsa mente concipere valeamus.*

§. CIX.

Deus oculis corporeis videri non potest.

Corollarium. Cum demonstratum sit, Deum corporeum non esse, facile etiam exploditur illorum error, qui Deum corporeis oculis a beatis videri asserebant. Hujusmodi errorem tanquam per calumniam Christianis impositum refutavit Origenes Lib. 7. *contra Celsum* inquiens: *Falso nobis Celsus imponit dicens, nos sperare corporis oculis Deum esse visuros.* Pulchra est illa S. Fulgentii ratio in *resp. ad* III. *objectionem Ferrandi*, ubi inquit: *Quisquis autem vult agnoscere, quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet, quia sapientia est, veritas est, charitas est: quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas, et charitas, ipsis oculis videtur illa sapiens, veraque divinitas. Non itaque corporis, sed oculis animae Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiae, veritatis charitatisque constituit* (*).

(*) Disputari hoc loco solet de mente S. Augustini, quamquam S. Doctor in epist. 92. *ad Italicam* variis rationibus Deum oculis corporeis nullo modo videri posse luculenter ostendit. Plura dabit cupientibus Cl. P. Berti Lib. 3. de *Theol. discip.* cap. 5. Non est tamen hic praetermittendus

CAPUT XII.

De Incorruptibilitate Dei.

§. CX.

Deus est omni modo incorruptibilis.

Fluit hoc divinae essentiae attributum ex iis, quae supra de ejus simplicitate diximus cap. praec. Cum enim in Deo nulla sit partium compositio; nulla quoque esse potest partium dissolutio, unde corruptio sequitur. Sed neque fingi potest in Deo corruptio, seu destructio ab aliquo externo agente proveniens; Deus enim utpote *ens a se*, sicut a nulla causa produci potuit, ita a nulla potest in nihilum redigi. Fluit etiam hoc attributum Dei ex ejus immutabilitate, et aeternitate; quod enim corrumpitur, mutationem subit, neque aeternum est.

§. CXI.

Quod etiam Scripturae, et Patres soli Deo attribuunt.

Incorruptibilitatem Apostolus Deo tribuit Rom. I. 23., ubi ethnicos Philosophos reprehendit, quod *gloriam incorruptibilis Dei mutaverint etc.* deinde I. Timoth. I. 17. inquiens: *Regi seculorum immortali*, seu ut graecus textus habet ἀφθάρτῳ *incorruptibili*; quod iterum infra repetit cap. VI. 16. de Deo inquiens: *qui solus habet immortalitatem.* Tribuitur autem immortalitas, seu incorruptibilitas soli Deo, quia ipsi soli competit per essentiam, ceteris autem creaturis spiritualibus id competit ex Dei voluntate, cui placet eas in aeternum conservare. Vel ut S. Augustinus explicat Lib. I. *de Trinit.* cap. I., *quia vera immortalitas incommutabilitas est, quam nulla potest habere creatura, quoniam solius est creatoris.* Idipsum tradit etiam S. Bernardus serm. 81. *in Cantica*, ubi eundem Apostoli

error, in quem vir doctissimus, ac de Theologia optime meritus Leo Allatius lapsus est; nam in Lib. 2. *de perpetua confessione Ecclesiae orientalis, et occidentalis* cap. 17. contendit oculis corporeis diviniore vi corroboratis, et in eminentiorem statum sublevatis Deitatem ipsam videri; et hanc beatificam visionem Mariae Virgini in coelum cum corpore assumptae jam esse concessam.

textum explicans inquit: *Ego reor, pro eo dictum, quod solus sit natura incommutabilis Deus, qui ait, ego Dominus, et non mutor; vera namque, et integra immortalitas tam non recipit mutationem, quam nec finem, quod omnis mutatio quaedam mortis imitatio sit.*

§. CXII.

Huc etiam spectant ea scripturae loca, in quibus Deus dicitur *vivens*, et quidem κατ' ἐξοχήν, imo *fons vitae* ut Ps. XXXV. 10. cum Deus sit essentia sua summe intelligens, neque id habeat ab alio, sed a se ipso, non potest non semper vivere; unde etiam in sacris Litt. dicitur habere vitam in semetipso. Jo. V. 26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.*

Id colligitur etiam ex vita, quam Deus habet a se.

CAPUT XIII.

De Intellectu, et Scientia Dei.

§. CXIII.

Esse intellectum in Deo nemo dubitat, et facilius invenies, qui Deum prorsus tollant, quam qui eum admittant omni intelligendi vi orbatum. Immo cum intellectio divina sit ipsa ejus essentia propter summam divinae naturae simplicitatem, hinc fit, ut quemadmodum essentia est infinita, infinita sit quoque ipsius intellectio. *In illius naturae simplicitate mirabili*, inquit S. Augustinus lib. 15. *de Trinit.* cap. 13. *non est aliud sapere, aliud esse, sed quod est sapere, hoc est et esse.*

Est in Deo intellectus infinitus.

§. CXIV.

Hanc Dei perfectionem, quam saepissime sacrae Litterae praedicant, ut I. Regum II. 3. *Deus scientiarum Dominus est.* Ps. CXLVI. 5. *Sapientiae ejus non est numerus*; et ut infinita alia omittam, pervulgata est illa exclamatio S. Pauli Roman. XI. *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei!*

Ut Scriptura testatur.

§. CXV.

Quae et qualis sit scientia Dei.

Nunc breviter, quae, et qualis sit haec scientia Dei, explicandum est. Et I. quidem ut jam monuimus, Dei scientiam ipsius essentia est, non vero accidens substantiae superadditum, ut est nostra scientia. Hinc etiam efficitur Deum semper esse in actu intelligendi, nunquam in potentia, secus ac in nobis contingit, qui a potentia intelligendi transimus ad actum.

§. CXVI.

Scientia Dei est causa rerum.

Alterum discrimen est inter scientiam Dei, et nostram, a SS. Patribus, praecipue autem ab Augustino, ejusque discipulo S. Thoma saepius observatum, scilicet Dei scientiam esse rerum causam, cum contra nostra scientia a rebus ipsis ortum trahat. *Universas creaturas suas*, inquit S. Augustinus Lib. 15. *de Trinit*. cap. 13. *et spirituales, et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit: non enim nescivit, quae fuerat creaturus, nec aliter ea scivit creata, quam creanda, non enim ejus sapientiae aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus sicut oportebat, et quando oportebat, illa mansit ut erat.* Eademque est phrasis plurium SS. Patrum, quorum testimonia brevitatis causa omittimus.

§. CXVII.

Est simplicissima.

Postrema dos scientiae divinae, quam considerandam suscipimus, est ejusdem simplicitas, qua fit, ut Deus unico intuitu omnia videat; non unum post aliud, ut nobis accidit. Audiamus iterum S. Augustinum, qui Lib. 15. *de Trinit*. cap. 14. loquens de Patre, Filio, et Spiritu S., *Unusquisque eorum*, inquit, *simul videt non particulatim, aut singulatim velut alternante conspectu, hinc illuc, et inde huc, et rursus inde, vel inde in aliud, atque aliud, ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia; sed ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt.* Cujus rei ratio ex infinita divinae scientiae perfectione manifeste colligitur. Hoc tamen non obstante Theologi varias tradunt divinae scientiae partitiones, quarum

Et simul multiplex.

praecipuas expendemus, postquam de ejusdem objecto breviter egerimus. Est enim sapientia Dei, ut idem Augustinus loquitur, *de civ. Dei* Lib. XII. cap. 18. *Simpliciter multiplex*, *et uniformiter multiformis.*

CAPUT XIV.

De objecto divinae scientiae, ac praecipue de futuris liberis, et contingentibus

§. CXVIII.

Primum, et adaequatum divinae scientiae objectum non est nisi ipsemet Deus, cum enim propter summam ejus simplicitatem in Deo intellectus, et intellectum sint omnino idem, et cum ipsa species intelligibilis non sit diversa ab eodem intellectu divino, sic Deus seipsum per seipsum semper intelligit. **Objectum primum scientiae Dei est ipse Deus.**

§. CXIX.

Objectum autem secundarium divinae scientiae sunt omnes res creatae; unde Apostolus Hebr. IV. 13. inquiebat: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus.* Et reipsa cum Deus se perfectissime noscat, immo et comprehendat, debet in seipso omnia videre, quae ab eo tanquam a causa effectrice procedunt; omnes autem creaturae sunt effectus Dei, adeoque etc. **Objectum secundarium res creatae.**

§. CXX.

Sed et mala quaecumque, sive naturae, ut monstra, sive poenae, ut calamitates hujus vitae, sive etiam mala culpae Dei cognitionem non effugiunt. Et quidem mala naturae, et poenae, utpote physica, a Deo ipso ut naturae auctore, et culparum vindice originem habent; unde illud Amos III. 6. *Si est malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* De malis vero culpae dicebat David. Ps. LXVIII. 7. *Delicta mea a te non sunt abscondita.* Cognoscit autem Deus malum culpae, quatenus est privatio boni: unde Deus cognoscendo bona, cognoscit etiam mala, sicuti nos per lucem cognoscimus tenebras. **Mala etiam naturae, poenae, et culpae.**

Scholion. Possumus quidem quaerere latebras, quibus opera nostra oculis hominum subtrahamus, ut illi, qui apud Horat. Lib. I. epist. 16. Lavernam rogabant: *Da mihi fallere, da sanctum justumque videri, Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.* Sed non possumus ea subtrahere oculis Dei. Pulchre Augustinus in *Reg. Sed etsi lateat, et a nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius?*

§. CXXI.

Tom futura libera, et contingentia. Et haec sine controversia fere dicuntur; sed difficile postea videtur aliquibus Deo certam et infallibilem tribuere cognitionem futurorum, quae libera sunt, et contingentia; haud enim facile captu est, quomodo hominis libertas, rerumque contingentia possit cum immobili Dei praescientia conciliari (*). Nos autem 1. haec futura libera, et contingentia a Deo certo cognosci ostendemus; post autem cap. seq. sub hac divina praescientia sartam tectamque servavari libertatem et contingentiam demonstrabimus.

§. CXXII.

Quod ostenditur ex sac. Litt. Inter innumera fere Scripturae testimonia, quibus certissima Deo adscribitur omnium futurorum praescientia, haec pauca seligimus. Danielis XIII. 42. ita Susanna in angustiis suis Dominum precata est, *Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant* etc. Eccli. XXIII. 28.

(*) Cicero in Lib. 2. *de Divinat.* futurorum contigentium cognitionem Deo denegavit, putans eam cum hominis libertate non posse consistere. *Atque ita*, ait S. Augustinus Lib. 5. *de Civit. Dei* cap. 9., *dum vult homines facere liberos, fecit sacrilegos.* Sociniani nonnisi conjecturalem futurorum praevisionem Deo tribuunt, ut videre est apud Socinum in *Praelect.* cap. 11., Samuelem Crellium in cap. 6. Epist. ad Rom., et Smalzium disput. 12. contra Francium: quibus adjongi potest Petrus Poiretus, qui in *Oeconomia div.* alijsque operibus peccata a Deo praesciri negat; cui consentit etiam Jo. Cont. Dippellius in *Fato fatuo.*

et seq. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum ... Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Et si clara in hanc rem Scripturarum oracula deessent, invictum tamen argumentum divinae praescientiae suppeditarent prophetiae, quarum veritatem confirmavit eventus; unde praeclarum illud Tertulliani dictum Lib. 2. *contra Marc.* cap. 5. *Praescientia Dei, tantos habet testes, quantos fecit prophetas.* Immo ipse Deus Isaiae XLI. 23. verae divinitatis notam in futurorum praescientia constituere videtur; ita enim falsorum Deorum inanitatem ostendit: *Annunciate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos:* quae verba expendens Tertullianus *in Apologet.* cap. 20. *Testimonium*, inquit, *divinitatis est veritas divinationis*; et similia habet etiam Origenes Lib. 6. *contra Celsum* cap. 10.

§. CXIII.

Tum ex ratione.

Idipsum confirmat brevis haec, sed invicta ratio. Si aliquid vel minimum futurum Deus a tota aeternitate ignorasset, aliqua fieret in tempore ejus scientiae perfectionis accessio, cum aliquid nempe de novo cognosceret, quod antea ignorabat: Deo autem nulla fieri potest perfectionis accessio, cum ejus natura perfectissima semper fuerit, ut modo est. Hinc recte concludebat S. Augustinus Lib. 5. de *Civ. Dei* cap. 9. *Confiteri esse Deum, et negare praescium futurorum, apertissima insania est.*

§. CXXIV.

Alia ratio bene notanda.

Aliam rationem ex sanctis Patribus depromptam affert Petavius Lib. 4. *de Deo* Cap. 6. n. 4. diligenter notandam, scilicet futura a Deo cognosci necesse esse, quod eorum auctor sit, et effector; et quidem talis, ut per intelligentiam, ac notitiam moliatur, ac designet omnia, idque ex aeterno. Hinc etiam et fecisse jam dicitur, quae futura sunt. Quam rationem, addit Petavius fuisse etiam a profanis auctoribus agnitam, et probatam; eandemque ex Scoto proponit, et confirmat Estius in I. Dist. 38. §. 2.

§. CXXV.

Objectiones contra Dei praescientiam.

Contra divinam futurorum praescientiam objici potest primo, quod Deus dixit Abrahamo Gen XXII. 12. *Nunc cognovi, quod timeas Deum*; antea ergo ignorabat. 2. Prophetae nonnulla ex divina revelatione praedixerunt, quae postea non evenere, ut cum Isaias cap. XXXVIII. regi Ezechiae praedixit mortem, quae tamen secuta non est; et Jonas cap. III. praedixit Ninive subversionem, quae postea subversa non fuit.

§. CXXVI.

Solvitur prima.

Haec tamen facile expediuntur. Et primum quidem dictum est per ἀνθρωποπάθειαν, quae non infrequens est in sacris Litteris; scilicet Deus more hominum dicit se experimento cognovisse obedientiam Abrahae, quam antea in occultissima sua praescientia non ignorabat. S. autem Augustinus Lib. 1. *de Trinit.* cap. 12. post sanctos Ambrosium, et Hilarium ea verba *nunc cognovi* ita explicat, *nunc cognoscere te feci*; ut scilicet designetur non Deum primo cognovisse obedientiam Abrahae, sed ipsum Abraham in illa tentatione probatum sibi innotuisse.

§. CXXVII.

Et altera.

Illae autem duae Prophetiae duntaxat praesentem dispositionem causarum respiciebant, non autem futurum eventum, id est: talis erat morbus Ezechiae, ut nisi ejus vim impedivisset Deus mortem ei certissime attulisset; et talia erant Ninivitarum peccata, ut civitas subverti promerita fuisset, quamvis Deus eorum poenitentia placatus Ninivitas conservaverit. Ceterum Deum non ignorasse, quae futura erant, patet ex ipso Isaia, qui regi adhuc quindecim annos vitae praedixit, et ne de praedictionis veritate dubitaretur, miraculo rem confirmavit.

§. CXXVIII.

An Deus cognoscat futura conditionata de conditione non adimplenda?

Pauca demum addenda sunt de iis futuris, quae conditionata dicuntur. Et quidem si conditio, a qua suspenduntur, poni debeat, certum est, ea a Deo cognosci. Sed quaedam dicuntur futura conditionata, quorum conditio adimplenda non est. Ut quan-

do Christus Matthaei XI. praedixit Tyrios, et Sidonios poenitentiam fuisse acturos, si ejus miracula vidissent; quae tamen conditio adimpleri non debebat. De hoc genere futurorum non levis est inter Theologos controversia, quam nobis dirimere otium non est. Sed hoc diligenter notari debet, Theologos illos, qui horum futurorum praescientiam Deo denegant, negare etiam illa esse vere futura. Contendunt enim hujusmodi futura purum, putumque fuisse Pelagianorum, et Semipelagianorum commentum ad oppugnandam S. Augustini doctrinam de gratia efficaci, ac de praedestinatione gratuita; unde iisdem S. Doctor Lib. 1. *de anima, et ejus origine* cap. 12. reponebat: *Quid quod ipsa exinanitur omnino praescientia* (Dei), *si quod praescitur, non erit? Quomodo enim recte dicitur praesciri futurum, quod futurum non erit?*

§. CXXIX.

Si cognoscuntur a Deo, non cognoscuntur nisi in decretis.

Sed haec viderint alii. Illud autem nobis certum est, aut haec vere futura non esse, ac proinde a Deo ut futura non videri; aut si futura sunt, a Deo non videri per scientiam mediam; ut Molinistae contendunt. Quomodo autem a Deo videantur, haud difficile explicatu est in sententia Thomistarum; vel enim agitur de talibus futuris, quorum conditio infallibiliter est connexa cum actu, ex. gr. *si Deus dedisset Tyriis, et Sidoniis gratiam efficacem, poenitentiam egissent*; et haec per scientiam simplicis intelligentiae a Deo cognoscuntur, in qua Deus videt infallibilem suae gratiae efficaciam. Vel agitur de aliis futuris, quorum conditio aut nullatenus, aut probabiliter solum conjungitur cum actu, ut cum Eliseus dixit Joas IV. Reg. XIII. *Si percussisses terram quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumtionem*; et tunc plusquam manifestum est, haec non potuisse esse futura nisi per Dei voluntatem, quae rei eventum talibus conditionibus alligavit: cognoscentur itaque haec futura (si vere futura sint) scientia visionis in divinae voluntatis decretis, quae decreta vocantur a Thomistis *subjective* absoluta, et *objective* conditionata.

§. CXXX.

Sententia notatu digna.

Verum totam hanc rem concludemus verbis doctissimi Duguet *Explicat. de la Gen. T. I. cap.* 3. *v.* 6. Postquam enim varias movit quaestiones de iis, quae futura fuissent, si Adam in justitia perseverasset, ita demum concludit: *Unica responsio sufficit, nihil eorum nobis revelatum est, nihil eorum decretum est: omnia solum possibilia sunt. Deus non alios Adam et Evae posteros vidit, quam reos: vidit eorum culpam, non perseverantiam; nihil decrevit aut permisit pro eo statu, qui futurus non erat: et si nihil decrevit, aut permisit, haec omnia sunt figmenta nostrae phantasiae, cui quanto minus frena laxantur, tanto melius, sapientiusque est.*

CAPUT XV.

Dei praescientia hominum libertatem, aut rerum contingentiam non tollit.

§. CXXXI.

Ostenditur primo ex sacris Litteris.

Cum in sacris Litteris tam divina praescientia, quam hominum libertas, rerumque contingentia perspicue asseratur, utrumque certissime credendum est, etiamsi modus nos lateret, quo utrumque conciliari possit. Et quidem divina futurorum praescientia cap. praec. copiose demonstrata est, hominis autem libertas luculenter asseritur Ecclis. XV. 17., item XXXI. 10., et inferius suo loco accurate a nobis ostendetur. Utriusque concordia a pluribus SS. Patribus data opera contra Stoicos, aliosque Fatalistas invicte probata fuit: imprimis autem a Sanct. Augustino in Libris de *libero arbitrio*, et alibi quam saepissime, a Sanct. Hieronymo in Caput 26. Jeremiae, ab Auctore *libr. de vocat. gentium* Lib. 2. cap. 24., et a Sanct. Anselmo *de concord. praesc. et lib. arbitr.*

§. CXXXII.

Secundo ex ratione.

Inter alias seligimus eam rationem, quam post S. Augustinum Boethius affert Lib. 5. *de Consol.*

Philosoph. Qui res praesentes contemplatur, vel praeteritarum meminit, nullam certe iis imponit necessitatem; atqui Deus in sua aeternitate eodem simplicissimo intuitu videt res futuras, quo praesentes, vel praeteritas contemplatur, cum omnia sint Deo in aeternitate praesentia: ergo etc. Hinc si accurate loqui velimus, Deo nihil est futurum, adeo ut quidam sancti Patres nullam praescientiam Deo tribuant, sed solum scientiam.

§. CXXXIII.

Additur alia ratio.

Praeterea vel nostro concipiendi modo consideratur praescientia Dei, ut tantum speculativa est, et tunc cum nihil prorsus ex ipsa in res cognitas dimanet, non potest ullam rebus necessitatem afferre: vel consideratur, ut reipsa est, tamquam practica, et rerum effectrix (vide §. 116.), et hoc pacto non solum libertatem, aut contingentiam non tollit, sed potius efficit. Neque enim solum Deus praescientia sua facit, ut faciamus, sed etiam ut libere, et contingenter faciamus; seu quod idem est, non solum praescit res futuras, sed etiam libere, et contingenter futuras; et cum non possit Deus in sua praescientia falli, hinc quae praescit libere, et contingenter futura, debent etiam libere, et contingenter evenire.

§. CXXXIV.

Objectio.

At vero inquiunt Fatalistae, tam necesse est, quod Deus praescivit evenire, quam impossibile est Deum in sua praescientia falli; atqui hoc secundum est omnino impossibile: ergo et primum est omnino necessarium.

§. CXXXV.

Solvitur.

Ut hoc, et alia id genus argumenta solvantur, duplex distinguenda est necessitas, alia *absoluta*, et *omnimoda*, qua scilicet res ita est, ut aliter esse non possit, et haec contingentiam tollit, et libertatem: alia est necessitas *hypothetica*, et *conditionata*, quae a libera alicujus causae determinatione pendet, et haec neque contingentiam, neque libertatem evertit. Jam vero Deum falli non posse est omnino, et absolute necessarium: oppositum enim

repugnat: ea autem evenire, quae Deus praescivit, necesse est solum necessitate hypothetica, et conditionata, posita scilicet determinatione causae liberae, et contingentis, quam Deus ab aeterno decrevit, et decernendo praevidit. Res illustratur exemplo: Deus dum res praesentes intuetur, ex gr. Petrum sedere, stare, ambulare, etc., eodem modo falli non potest, ac quando id ipsum futurum praescivit; atqui tamen nemo sanae mentis inde colliget, Petrum absoluta necessitate sedere, stare, vel ambulare, sed solum haec facere necessitate quadam hypothetica, quae a libera ejus voluntate dependet: ergo pari jure etc.

§. CXXXVI.

Explicatur quid sit sensus compositus, et divisus.

Ex hac doctrina plures aliae difficultates enodari poterunt; majoris tamen claritatis gratia explicanda breviter est celebris illa Thomistarum distinctio *sensus compositi, et divisi* (*). Sensus compositus est, quando res libera, et fortuita simul cum divina praevisione componitur. Et hoc modo res a Deo praevisae non possunt non evenire, quia Dei scientia falli non potest. Sensus autem divisus est, quando res sumitur in se ipsa, et absolute, et hoc sensu res liberae, et fortuitae a Deo praescitae possunt absolute non evenire. Hoc declaratur vulgari exemplo: *loquens potest tacere*; id verum est in sensu diviso, quia absolute homo tacere potest; falsum est autem in sensu composito, quia homo non potest simul componere locutionem cum silentio: nec tamen ex hac impotentia in sensu composito quisquam colliget, hominem necessario loqui; idemque dicendum in rebus a Deo praevisis, etc.

(*) Alii utuntur aliis terminis, qui in idem recidunt, et dicunt, hominem sub divina praescientia posse agere oppositum *potentia antecedente*, non autem *consequente*. Vel potentia *possibilitatis*, non *futuritionis*. Vel *capacitatis*, non *positionis*. In *actu primo*, non in *actu secundo*. *Simultate potentiae*, non *potentia simultatis*. S. autem Thomas dicit hanc propositionem: *omne scitum a Deo esse necessarium*, si intelligatur *de re*, esse falsam, si autem *de dicto* esse veram. Diversi sunt modi loquendi, sed significatus est idem.

§. CXXXVII.

Nec tamen quis inde inferat, res futuras dumtaxat esse liberas, et contingentes sublata divina praescientia, non autem ea posita; quemadmodum homo vinctus catenis censetur habere potentiam ad ambulandum iis sublatis, non habere autem, quamdiu vincula manent. Non inquam, nam (et hoc bene perpendendum est) quemadmodum in homine loquente etiam dum actu loquitur, est vera potentia ad tacendum, ad tacendum inquam in sensu diviso: ita cum divina praescientia componi potest potentia ad non ponendum effectum, adeoque et rerum contingentia, et libertas, quamquam certissime evenient, quaecunque Deus praescivit. Hujus ratio est, quia haec duo simul non pugnant: *Deus praescivit Petrum peccaturum, et Petrus potest non peccare*: sed haec duo pugnant: *Deus praescivit Petrum peccaturum, et Petrus non peccabit.* Exemplum autem catenarum non est ad rem, quia simul cum vinculis non manet potentia ambulandi: simul autem cum divina praescientia conjungitur potentia ponendi, vel non ponendi effectum. Immo ut supra dictum est, Deus praesciens effectum libere futurum, etiam facit, ut libere eveniat.

Praeoccupatur alia objectio.

Et ostenditur, simul cum div. praescientia manere potentiam ad oppositum.

CAPUT XVI.

De divisione scientiae Dei.

§. CXXXVIII.

Quamquam scientia Dei simplicissima est (§. 117.), eam tamen pro modulo nostro intellectam multipliciter partiuntur Theologi. Ceteris omissis divisionibus illa celebris est, in scientiam *necessariam* seu *simplicis intelligentiae*, et *liberam*, seu *visionis*. Prima est, quae antecedit libera Divinae voluntatis decreta, et qua Deus seipsum cognoscit, creaturas item possibiles, et quaecunque sunt necessaria. Scientia *visionis* est, qua Deus cognoscit res praeteritas, praesentes, atque futuras, et quaecunque a libera Dei voluntate dependent.

Scientia Dei *simplicis intelligentiae.*

Et visionis.

§. CXXXIX.

Scientia media quid sit?

Haec communis fuit scientiae Divinae partitio usque ad sec. XVI., quo inclinante Lud. Molina tertiam quamdam scientiam inter utramque mediam invehere conatus est, *qua Deus ex altissima, et inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii intuetur, quid pro sua innata libertate, si in hoc vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset*. Hanc scientiam nec omnino necessariam esse vult, nec omnino liberam, *sed habere simul partim conditionem scientiae naturalis, partim conditionem scientiae liberae*. Hoc est, ni fallor, scientia media, respectu Dei est absolute necessaria, quia antecedit actum liberum Divinae voluntatis, respectu autem hominum est libera, quia subsequitur exercitium nostrae libertatis, saltem ut praevisum. Hinc Molinae objectum fuit, hac sua scientia media Deo libertatem auferre, ut nostram facilius servaret intactam; hic enim fuit ipsius scopus in scientia media invenienda.

§. CXL.

Exploditur ut contraria sacris Litteris.

Verumtamen non ex hoc capite solum fuit haec scientia media a pluribus acriter impugnata, sed multis aliis de causis, et primo quidem, quia in hoc systemate Deus proprie non erit effector nostrorum bonorum operum, nec ille, qui nos discernat in negotio nostrae salutis, sed potius erit sicuti Rex, qui postquam milites armis instruxit, eos pugnantes observat, eisque praemia decernit, quorum strenuitatem intuetur. At vero scriptura sacra clamat, *Deum operari in nobis velle, et perficere*. Philipp. II. 13. et *Deum esse, qui nos discernit*, ac *nos nihil habere, quod a Deo non acceperimus*. I. Corint. IV. 6. Ulterius ex Molinae systemate consequitur, hominem saltem ex parte gloriari posse, quod pro sua innata libertate aliquid boni effecerit, quod Molina ipse non negat, sed illud manifeste excludit Apostolus loco mox laudato inquiens: *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

§. CXLI.

Secundo quia S. Augustinus, cujus in hac quaestione praecipua debet esse auctoritas, hanc scientiam mediam sibi a S. Prospero Semipelagianorum nomine propositam expresse rejecit, tamquam firmissimum principium statuens, nostra bona opera a Deo non cognosci, nisi in sua praedestinatione, seu in suis decretis. Ita praecipue in Lib. de *Dono persev.* cap. 17. Et re ipsa S. Augustinum sibi adversum esse ingenue confessus est ipse Molina, quamquam postea ipsius asseclae S. Doctorem in suas partes pertrahere omni machinarum vi conati sint. **Deinde ut aliena a mente S. Augustini.**

§. CXLII.

Nec minus scientiae mediae adversatur S. Thomas, fidissimus S. Augustini discipulus, et interpres. Nam primo quotiescumque agit de divisione scientiae Dei, semper, ac constanter eam tantummodo bifariam partitur, scilicet in scientiam *simplicis intelligentiae*, et *scientiam visionis*, nec de tertia aliqua scientia inter utramque media unquam somniasse videtur. Secundo, quotiescumque humanam libertatem eum divina praescientia conciliare vult, semper confugit ad efficaciam divinae voluntatis, a qua non solum substantia actus, sed etiam ipsius libertas dependet. Demum constans est S. Thomae principium, nihil ante Dei decretum esse futurum. Ut alia omittam, sufficiant ea verba, quae habet quaest. 2. *de verit.* art. 12. *Deus cognoscit res, in quantum est causa earum, sed Deus non tantum est causa necessariorum, sed etiam contingentium: ergo tam necessaria, quam contingentia cognoscit.* **Atque etiam a mente S. Thomae.**

§. CXLIII.

Solet etiam valde impugnari scientia media ex capite novitatis; eam enim a se primo inventam fuisse, Molina ipse gloriatur. Et revera novam esse Molinae doctrinam etiam apparet ex turbis, quas fere ubique inter Theologos concitavit; et plures Universitates, potissimum autem Lovaniensis, et Duacena eam datis censuris condemnarunt. Etiam in celeberrimis congregationibus Romae habitis sub duobus **Demum ex capite novitatis.**

Unde etiam a pluribus damnari meruit.

summis Pontificibus Clemente VIII., et Paulo V. post septies repetitum ipsius examen Censores unanimi fere calculo eam condemnandam esse censuerunt. Novam autem esse dicimus *in scholis Catholicis*; fuisse enim prius a Semipelagianis excogitatam facile concedimus; unde illud Fausti Rejensis effatum: *Nisi praescientia exploraverit, praedestinatio nihil decernit.* Haec pauca in praesentiarum sufficiant. Nam tota haec quaestio ab alia capitali de gratiae efficacia dependet. Si enim gratia est per se, et ab intrinseco efficax, quod suo loco demonstrabitur, jam nullus est amplius scientiae mediae locus.

CAPUT XVII.

De veritate, et veracitate Dei.

§. CXLIV.

Prob. ex sacris Litteris.

Deum esse veritatem Scripturae ubique fere clamant, ut Deut. XXXII. 4. *Deus veritas est.* Joan. III. 33. *Deus verax est*, et Cap. XIV. 6. Jesus dicit de se ipso: *Ego sum via, et veritas, et vita*: quibus, aliisque similibus verbis quam saepissime in sacra Scriptura repetitis duo significantur; primo Deum esse veritatem in se, et per suam essentiam; secundo Deum nullo modo mentiri posse, quo sensu dicebat Apostolus Rom. III. 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.*

§. CXLV.

Deus est prima veritas.

Quantum ad primum, observat Angelicus I. P. quaest. 16. art. 5. Veritatem esse tum in intellectu, tum in rebus ipsis. In intellectu quidem, quando res apprehendit, prout sunt in se; et in rebus, prout habent esse intellectui consentaneum: utrumque autem invenitur perfectissimo modo in Deo, cujus esse non solum est conforme ipsius intellectui, sed plane unum et idem, et cujus intelligere est mensura, et causa omnis alterius esse, et omnis alterius intellectus; unde fit, non solum Deum esse veritatem, sed primam, et summam veritatem, cum aliae quaecumque res ideo verae sint, quia ideis divini intellectus perfecte respondent.

§. CXLVI.

Quantum spectat ad Dei veracitatem, sacrae Litterae hoc inter Deum, et hominem maxime ponunt discrimen, quod in Deum nullum mendacium cadat, frequentissime autem in hominem. Num. XXIII. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit?* immo Apostolus Hebr. VI. 19. *Impossibile* plane esse dicit, *mentiri Deum*; quae verba de omnimoda impotentia mentiendi intelligi debent. Ut enim inquiebat S. Augustinus Lib. 22. de *Civ. Dei* cap. 25. *Si volunt invenire, quod omnipotens non potest, habent prorsus; ego dicam: mentiri non potest.* Et sane mendacium non solum divinae sanctitati, sed etiam ejus bonitati, et veritati, immo ceteris omnibus attributis aperte repugnat. Sed hac de re legi meretur Melchior Canus Lib. 2. de *Loc. Theol.* Cap. 2. et seq. **Nullo modo mentiri potest.**

CAPUT XVIII.

De divina voluntate, ejusque libertate.

§. CXLVII.

Operae dispendium facerem, si multis demonstrare aggrederer, in Deo esse voluntatem, quam sacrae Litterae frequentissime memorant, et quam ratio ita evidenter demonstrat, ut nullus, quod sciam, eam negare ausus fuerit, praeter Spinozam, qui nonnisi nomine Deum admisit. Si enim Deus cognoscit bonum, debet etiam illud velle, et quemadmodum intellectus non distinguitur a Dei essentia, ita nec voluntas. **Est in Deo voluntas.**

§. CXLVIII.

Objectum porro divinae voluntatis est duplex; aliud *primarium*, et *formale*, quod etiam *motivum* vocatur, quia sua ratione, propriaque bonitate Dei voluntatem movet; aliud *secundarium*, et *materiale*, in quod divina voluntas fertur quidem, **Ejus objectum duplex.**

non tamen ratione sui, sed ratione alterius, nempe objecti *primarii*, ad quod *secundarium* ordinatur.

§. CXLIX.

Objectum primarium: divina bonitas.

Objectum primarium, formale, et motivum divinae voluntatis est sola Dei bonitas, ad quam tamquam ad finem omnia alia referuntur; quare Proverb. XVI. 4. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Hinc sicut Deus alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia a se vult volendo bonitatem suam. Creaturae autem sunt objectum secundarium, et materiale voluntatis Dei, quas Deus amat non amore affectivo, sed effectivo; *quia enim*, inquit Angelicus I. P. Q. 20. art. 2. *voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur, sicut ab objecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius, sed e converso bonitas ejus vel vera, vel aestimata provocat amorem, quo ei volumus et bonum conservari quod habet, et addi, quod non habet, et ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens, et creans bonitatem in nobis.*

Secundarium creaturae.

§. CL.

Voluntatis divinae divisiones.

Quamquam autem divina voluntas unica in se est, et simplicissima, spectata tamen volitorum diversitate multiplex apparet; hinc variae ejusdem apud Theologos divisiones; ac primo alia dicitur voluntas *signi*, alia *beneplaciti*. Dein celebrior divisio est in voluntatem *antecedentem*, et *consequentem*. *Antecedens* dicitur, qua Deus aliquid vult seclusis peculiaribus circumstantiis, quibus circumvestitur, et in se ipso tantummodo consideratum. *Consequens* autem est, quae respicit objectum cum omnibus suis adjunctis. Sic iudex vult hominem absolute, et antecedenter vivere, sed eundem consideratum ut homicidam, consequenter damnat ad mortem. 1. voluntas est inefficax, et conditionata, immo a S. Thoma vocatur voluntas *secundum quid*; alia autem est voluntas absoluta, et efficax, ac semper effectum suum sortitur: *Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit in caelo, et in terra.* Ps. CXXXIV. 6.

***Antecedens* et *consequens*.**

§. CLI.

Libertas duplex.

Duplex est libertas; alia *a coactione*, quando scilicet aliquid necessario quidem agimus, ita ut non possimus non agere; agimus tamen sponte, ac libenter. Alia est libertas *a necessitate*; quae etiam dicitur *indifferentiae*, seu *arbitrii*, qua ita volumus libere, ut etiam possimus non velle.

§. CLII.

Est in Deo libertas a coactione.

Primam libertatem esse in Deo luculenter apparet; quis enim adeo insaniat, ut putet, Deum ens a se, et omnino independens ab aliquo cogi posse? at libertatem arbitrii admodum multi cum veteres, tum recentiores Deo adimere conati sunt (*). Antequam tamen haec Dei libertas vindicetur, praenotare oportet, non agi hic de actionibus Dei *in intra*, nempe de sui ipsius cognitione, qua *Verbum* generat, et de amore, ex quo *Spiritus S.* procedit; has enim actiones necessarias esse, nemini dubium est. Sed quaestio tantum oritur de actionibus Dei *ad extra*, cujusmodi sunt hujus mundi creatio, conservatio, et gubernatio. Jam vero esse in Deo summam libertatem saepius insinuant sacrae Litterae. Ephes. I. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*; et I. Corinth. XII. 11. *Haec omnia operatur unus, atque idem Spiritus dividens singulis prout vult. Prout vult*, commentatur S. Ambrosius Lib. 2. *de fide* cap. 3. *id est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.*

Et etiam a necessitate.

§. CLIII.

Id ostenditur etiam ratione.

Probatur idipsum multiplici ratione. I. Libertas est perfectio *simpliciter simplex*, quae proinde Deo

(*) Id olim tentarunt veteres quidam Philosophi, quorum meminit S. Thomas Lib. 2. *contra Gentiles* cap. 23. Eundem errorem pene sepultum suscitatit sec. XII. Petrus Abaelardus in sua *Theol. Christ.* quae extat Tom. V. *Novi Thesauri Anecdot.* PP. Martene, et Durand. Extat tamen *in Bibliot. Cisterc.* P. Bertrandi Teissiet T. IV. retractatio ejusdem Abaelardi, qua hunc errorem simul cum aliis ejuravit. Sec. XIV. Joan. Wicleff Anglus etiam Dei libertatem inficiatus est; ut videre est apud Thomam Waldensem Tom. I. *Doctrinalis antiquit. fidei* Lib. I. cap. 10.

omnium perfectionum centro denegari non potest; unde Tertullianus nullam magis in homine imaginem, et similitudinem Dei se invenire dicebat Lib. 2. *contra Marcionem* cap. 5. quam liberum arbitrium. II. Si Deus aliqua necessitate adactus mundum creasset, conservaret, ac gubernaret, sequeretur, omnia quae in hoc universo sunt, necessario fieri; unde omnis contingentia, et libertas tolleretur. III. Quaenam necessitas adegit, aut adigere potuit Deum ad hunc mundum creandum? non certe vis alterius causae, ut res per se loqiritur, cum sit ipse prima omnium causa: non propria indigentia, cum sit Dominus omnium, et nullius indigens: neque indigentia mundi, qui tunc non erat: liberrime ergo quando voluit, et quomodo voluit, hanc rerum universitatem ex nihilo extraxit.

§. CLIV.

Libertas in Deo est sine perplexitate, et suspensione.

Neque verum est, electionem, et indifferentiam, qualis ad libertatem Dei requiritur, aliquam involvere imperfectionem: non enim talem electionem, aut indifferentiam in Deo admittimus, quae aliquam perplexitatem, aut suspensionem adjunctam habeat, quemadmodum in nobis contingit, quibus res unico intuitu omnino perspicere datum non est; sed electio; et indifferentia Dei in eo relucent, quod a nulla causa ad volendum, et operandum adigatur. Et licet Deus necessario velit bonitatem suam, non tamen necessario vult ea, quae vult propter bonitatem suam, quia bonitas ejus potest esse sine aliis.

§. CLV.

Quomodo Dei libertas cum immutabilitate consistat?

Et haec quidem haud difficulter intelligi queunt; sed nodus plane gordius est, quando agitur de concilianda libertate Dei cum summa ejus immutabilitate, de qua superius egimus cap. IX.; libertas enim exigit mutationem saltem ut possibilem. Doctissimus Bossuetus cap. 5. sui tractatus *de libero arbitrio* hunc nodum facile secat observando, utrumque attributum libertatis, et immutabilitatis Deo certissime convenire propter luculenta sacrae Scripturae testimonia, et rationum momenta; utrumque ergo confitendum est; quamvis modus, quo simul concilientur, nos lateat. Habemus, inquit ille, duo ve-

luti unius catenae extrema manibus comprehensa, sed annulos intermedios non videmus.

§. CLVI.

Explicatur.

Communior tamen hujus nodi solutio haec est. Actio Dei libera duplici modo considerari potest, et ut est in se, et comparate ad Deum, et ut respicit externum opus, atque ad ipsum refertur. Primo modo actio a Deo non distinguitur, et est omnino necessaria, atque immutabilis: alio autem modo dici potest libera, et mutabilis, quatenus ejus objectum est contingens, mutabile, et liberum. Quod autem eadem actio Dei libera simul sit, et necessaria, oritur ex infinita Dei eminentia, et simplicitate, qua fit, ut in Deo simplicissimo modo unita, et identificata ea inveniantur, quae sunt divisa in creaturis. Sed de his, qui plura desiderat, adeat Scholasticos (*).

CAPUT XIX.

De efficacia divinae voluntatis.

§. CLVII.

Prob. ex sacris Litteris.

Voluntatem Dei *consequentem* esse efficacissimam, seu omnia fieri, quae Deus vult, adeo certis Scripturae sacrae, et humanae rationis momentis manifestum est, ut a nemine negari, aut in dubium revocari queat. Esther XIII. 9. ita Mardochaeus deprecatus est Deum: *Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati.* Isaiae XLVI. 10. dicit Deus: *Omnis voluntas mea fiet. Ps.* CXIII. *Omnia, quaecumque voluit, fecit: Quod utique non est verum*, inquit S. Augustinus *in Enchir.* cap. 95. *si aliqua voluit, et non fecit; et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fie-*

(*) De libertate Dei imprimis consulendum existimo P. Thomam Mariam Cerboni Lib. 2. *Theol. natur.* Q. 5. art. 4., ubi hanc, et nonnullas alias difficultates cum S. Thoma egregie dissolvit.

ret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.

§. CLVIII.

Tum ex ratione.

Ratio etiam naturalis idipsum apertissime ostendit; cum enim voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, eam suum effectum non consequi: unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium. Sicut peccator, qui quantum est in se recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.

§. CLIX.

Objectiones ex Scriptura.

Huic tamen veritati quae certe manifestissima est, opponi videntur non pauca Scripturae sacrae testimonia, ut illud Christi Matth. XXIII. 37. *Jerusalem Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, et noluisti.* Proverb. I. 24. *Vocavi et renuisti.* Actorum VII. 51. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ac denique pluribus aliis omissis, ut testatur Apostolus I. ad Timoth. II. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*; quae tamen voluntas Dei in maxima hominum parte non adimpletur.

§. CLX.

Solvuntur primae.

Haec, et similia non pauca Scripturae testimonia explicanda sunt de voluntate *signi*, quae consistit in praeceptis, exhortationibus, correptionibus, miraculis, aliisque gratiis sive externis, sive etiam internis, quibus Deus omnes homines vocat ad viam salutis. Sed male quis inde colligeret, Deum voluntate *beneplaciti* et absoluta voluisse, aut velle omnium hominum conversionem, et salutem, et impetrare non posse. Hinc S. Augustinus in Enchir. cap. 97. et seq. haec eadem loca expendens: *Ubi est*, inquit, *illa omnipotentia, quae in coelo, et in terra omnia quaecumque voluit fecit, si colligere Jerusalem filios voluit, et non fecit? . . . . quis tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere?*

§. CLXI.

Solvitur postrema de voluntate salvandi omnes.

Illum vero *obscurissimum ac difficillimum locum* Apostoli (*) variis modis sancti Patres explicant, quos omnes complexus est Angelicus *in Comment.* I. Intelligi potest de voluntate *signi*, qua Deus vult salvare omnes, quia omnibus proposuit salutis praecepta, consilia, et remedia. II. Intelligi etiam potest de voluntate *beneplaciti*, et hoc iterum quatuor modis: uno modo, ut sit locutio causalis, quia scilicet Deus facit suos sanctos velle omnium salutem: alio modo, quia nullus salvatur, nisi per voluntatem Dei; sicuti de aliquo ludimagistro, qui solus in civitate sit, recte dicitur eum docere omnes, non quia omnes discant, sed quia nemo discit, nisi ab eo. III. modo ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, quia in lege nova nullum genus hominum excipitur a salute, quae olim tantum Judaeis promissa erat: *et hoc*, inquit Angelicus, *magis facit ad intentionem Apostoli.*

§. CLXII.

Quarto demum modo explicat Angelicus textum Apostoli de voluntate antecedente, *quia salus omnium hominum in se considerata habet rationem, ut sit volibilis*; et sic Deus vult antecedenter omnes homines salvos fieri; consequenter vero considerata sua justitia, et altissimis suae providentiae finibus non vult efficaciter salvare, nisi eos, qui reipsa salvantur. Ex his omnibus luculenter apparet, I. voluntatem Dei absolutam esse semper efficacem: II. quomodo explicari debeant illa loca Scripturae, aut etiam sanctorum Patrum, quibus insinuari videtur, aliqua Deum voluisse fieri, quae facta non sunt.

(*) Ita eum appellat S. Remigius *de tribus epist.* cap. 11., ubi etiam cavendum illud esse monet, ne dicamus, Deum, *quantum in se est*, velle omnium hominum salutem, *quia occasionem Pelagianae pravitati praebet, quod Deum, ut salvet homines, humanas expectare asserit voluntates.*

CAPUT XX.

De modo conciliandi divinae voluntatis efficaciam, cum humana libertate.

§. CLXIII.

Confiteri debemus tam efficaciam div. voluntatis, quam hominis libertatem.

Duo hac in re tanquam omnino certa supponenda sunt. I. Efficaciam divinae voluntatis esse causam universalem omnium rerum; ita ut nihil prorsus ab ea excludatur. A vero enim quam longissime aberraret, qui arbitraretur, hominem a Deo pendere, quantum ad receptionem libertatis, non autem quantum ad ejusdem exercitium. II. Supponendum est, quod inferius accurate ostendetur, hominis libertatem etiam post Adami peccatum superstitem esse, quamquam attenuatam, et diminutam. Hinc condemnati sunt ab Ecclesia tam Pelagiani, quam Praedestinatiani; quorum primi ut libertatem hominis defenderent, supremam Dei voluntatis efficaciam inficiabantur. (*) Praedestinatiani autem hominis libertatem tollebant, quam cum efficacia divinae voluntatis conciliari non posse autumabant.

§. CLXIV.

Modi utrumque conciliandi.

Utrumque hoc nostrae Religionis dogma firmissime tenendum est, etiamsi modus nos lateret, quo simul haec duo conciliari possunt. Theologi tamen

---

(*) Hinc patet, merito fuisse ab Innocentio XI. duas sequentes propositiones damnatas. 1. *Tanto magis timendum esse libertati humanae, quanto major est Dei efficacia*: alteram: *Deus donat nobis omnipotentiam suam, sicut aliquis alteri villam vel librum*; cum qua coincidebat et illa alia: *Deus nobis subjicit omnipotentiam ut pro libitu ea utamur*. Patet etiam quam inconsiderate ex calamo P. Assermet haec propositio exciderit: *dico Deum esse omnipotentem super corda hominum, non vero respectu salutis humanae*. Quasi vero quod S. Augustinus dicit *de corrept. et grat.* cap. 14. et saepius alibi repetit, *Deus de ipsis hominum voluntatibus quod vult, et cum vult, facit*; aut falsum sit, aut de nostrae salutis negotio intelligi non debeat.

etiam hunc modum detegere conati sunt, et quidem diversis viis. Qui Molinam sequuntur, quamquam in non paucis inter se dissentiant, in hoc tamen conveniunt, docentes, voluntatem Dei ut efficax est, nostrae voluntatis determinationem non praecedere, sed subsequi, saltem ut praevisam per *scientiam mediam*, futurorum exploratricem. Docent insuper Deum, ut id efficiat, quod vult, non uti mediis per se, et ab intrinseco efficacibus, sed iis, quibus praevidit voluntatem humanam pro innata sua libertate esse permovendam, eo fere pacto, quo sagax consiliarius modos explorat, quibus Principis animum ad sua consilia sequenda inflectat. Hoc in systemate facile salvatur libertas humana, sed non aeque facile salvatur supremum Dei dominium, qui ut Augustinus saepe loquitur, *habet inclinandorum cordium quocunque placet omnipotentissimam potestatem*; nec consequenter salvatur debita creaturae dependentia a Deo, cui non solum nostram libertatem, sed singulos etiam ejusdem libertatis actus debemus. **Molinistarum.** **Rejicitur.**

§. CLXV.

Schola Augustiniana 1. duplicem rerum ordinem distinguit, naturalem, et supernaturalem. In ordine mere naturali cum Molinianis fere consentit, putans, decreta voluntatis divinae non esse ex se, ac natura sua efficacia, sed eorum efficaciam dependere a praeviso nostrae voluntatis consensu. 2. In ordine supernaturali duplicem distinguit statum, naturae innocentis; et lapsae; in 1. cum non admittat nisi gratiam versatilem, iterum cum Molinistis convenit; in altero autem propter vulnus ex culpa originali inflictum, necessariam esse docet gratiam fortem, invictam, naturaque sua efficacem, quae non expectet voluntatis nostrae consensum, sed illum operetur. Hanc autem gratiam reponit in quadam suavitate, et delectatione coelesti, quae si gradibus superior fuerit delectatione terrena, quam concupiscentia excitat, tunc victrix, et efficax est. Cum hac autem gratiae, seu divinae voluntatis efficacia libertatem arbitrii salvari dicunt, quod sub ea sarta tectaque remaneat indifferentia judicii, in qua proprie sita est libertas, quia numquam objectum sub **Scholae Augustinianae.**

omnimoda ratione boni proponitur; quo fit, ut nihil ita delectet in hac vita, quin excitatis aliis delectationibus repudiari possit. Vid. Cl. Berti Lib. 4. *de Theol. discipl.* cap. 13., ubi post multa ita concludit: *Gratiam praedeterminantem, et victricem stare cum libertate, non quod necessaria sit duntaxat titulo infirmitatis, sed quia ita mentem illustrat, et voluntatem incendit, ut excitari possint contrariae cogitationes, et affectus: veluti quando Martyr per efficacem gratiam determinatur ad mortem subeundam, potest timere mortem ipsam, et formidare supplicia.*

§. CLXVI.

Thomistarum Systema explicatur.

Thomistae demum nulla facta distinctione ordinum, vel statuum, decreta Dei esse suapte vi, atque ab intrinseco efficacia propugnant, humanam autem libertatem sartam, tectamque servari ostendunt propter hanc ipsam summam divinae voluntatis efficaciam, quae talis, ac tanta est, ut non solum producat in nobis substantiam actus, sed etiam modum liberum ejus; id est non solum Deus facit nos velle, sed etiam libere velle. *Cum enim*, inquit S. Thomas 1. P. qu. 19. art. 8., *aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam non tantum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi.* Hoc autem posito principio ita in rem nostram concludit: *Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea vult fieri*; et sic explicat, quomodo ab efficacia divinae voluntatis tamquam a propria causa oriatur necessitas, contingentia, et libertas in rebus creatis. Et sane si, ut ab initio monuimus, efficacia divinae voluntatis est causa universalissima omnium eorum, quae sunt, profecto etiam exercitium nostrae libertatis, seu modus liber agendi ab eadem divinae voluntatis efficacia repeti debet.

§. CLXVII.

Praeoccupatur aliqua difficultas.

Sed hoc difficile captu aliquibus videtur, quomodo voluntas libera esse possit, si ab alia causa movetur, cum de ratione libertatis sit, ut voluntas sit

ipsa sui motus causa. Hanc tamen difficultatem jam antea praeoccupavit Angelicus 1. P. qu. 83. art. 1. ad 3. inquiens: *Liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum; non tamen hoc est de necessitate libertatis, ut sit prima causa sui id, quod liberum est, sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa, movens et naturales causas, et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.*

§. CLXVIII.

Voluntas hominis est libera, sed dependens.

Nimirum in hoc falluntur adversarii, quod nostram libertatem sibi fingunt ut independentem, et primam sui motus causam, cum tamen non sit, nisi causa secunda; et a prima ita dependens, ut quemadmodum sine illa esse non potest, ita neque in actum prodire valeat, nisi ab illa moveatur; et *sicut voluntas*, tamquam causa secunda, *potest immutare actum suum in aliud, ita et multo amplius Deus*, inquit idem Angelicus qu. 22. *de verit.* art. 8.; nisi dicere velimus, aliquid boni posse a nostra voluntate fieri, fieri autem non posse a Deo, qui est summa bonitas, et omnis bonitatis causa (*).

Scholion. Hic me[...]us conciliandae humanae libertatis cum divinae voluntatis efficacia non solum aptis-

---

(*) Praeter Scholasticos Thomistas dignus plane est, qui de hoc argumento legatur doctissimus Bossuetus in suo Tract. *de lib. arb.* Tom. 10. operum, ubi omnes modos expendit ad conciliandam humanam libertatem cum divinae voluntatis efficacia excogitatos, et palmam Thomistis defert, quorum sententiam mirifice explicat, atque ab obiectionibus vindicat cap. 8. et seq. Videri etiam possunt laudatissimus Boursier in suo aureo opere *de actione Dei in creaturas*, et P. Touron *in vita S. Thomae* lib. 4. cap. 8. §. 5. Difficultates autem, quae in hac re nec paucae sunt, nec leves, partim supra cap. XV. praeoccupatae jam sunt, partim solventur, ubi de gratiae efficacia agetur.

simus est ad salvandum supremum Dei dominium in corda hominum, verum etiam ad excitandam in nobis veram pietatem, et humilitatem. *Nos ergo volumus*, inquit S. Augustinus *de dono persev.* cap. 13., *sed Deus in nobis operatur et velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur et operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit et credere, et dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis, et submissa confessio, et detur totum Deo.* Vid. Dissert. Petri Tamburini *de summa Cath. de gratia Christi doctrinae praestantia, utilitate, ac necessitate.*

CAPUT XXI.

De justitia, et misericordia Dei.

§. CLXIX.

Justitia, et misericordia in omnibus operibus Dei.

Deus non vult, nisi quod justum, et bonum est, et simul in omnibus rebus exercet suam justitiam, et misericordiam. simul *miserator, et justus* Psal. CXI.; quamobrem haec duo attributa simul conjungenda esse censuimus, ut etiam ostendamus, haec duo attributa Dei, quamvis infinita, simul tamen sine ulla collisione consistere.

§. CLXX.

Justitia est in Deo. Qualis autem sit?

Justitia est in Deo proprie; ut enim dicitur Psal. X. *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Observat tamen S. Thomas 1. P. qu. 21. art. 1. in Deo non esse eam justitiam, quae commutativa dicitur, et in mutua datione, et acceptione consistit; ut enim dicit Apostolus Roman. XI. 35. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* alia ergo in Deo est justitia communiter dicta *distributiva*, qua omnibus tribuit, quae unicuique conveniunt; et quamvis dicatur Ephes. I. 11. *Operari omnia secundum consilium voluntatis suae*, cum tamen voluntas ejus recta, et justa sit, etiam ipsius operationem rectam, et justam esse oportet. Hinc Deuter. XXXII. 4. dicitur: *Dei perfecta sunt opera, et omnes viae ejus judicia: Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus, et rectus.*

§. CLXXI.

Apparet etiam justitia Dei in eo, quod non est *acceptor personarum*; ut testatur S. Petrus Act. X. 34. *In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Tum etiam in eo, quod *reddit unicuique secundum opera ejus*, ut dicitur Roman. II. 6.

§. CLXXII.

Justitia semper est cum misericordia.

Simul autem cum divina justitia in omnibus operibus concurrit misericordia, quod non solum sacrae Litterae indicant, sed etiam ratio ipsa evincit. Nam Ps. XXIV. dicitur: *Omnes viae Domini misericordia, et veritas*; nomine autem veritatis intelligitur justitia, ut S. Thomas ostendit 1. P. qu. 21. art. 2. art. autem 4. utrumque Dei attributum simul in omnibus operibus Dei inveniri ita demonstrat. Opus divinae justitiae semper praesupponit opus misericordiae, et in eo fundatur; creaturae enim non debetur aliquid, nisi propter aliquid aliud in ea praeexistens, vel praeconsideratum; et cum procedi non possit usque in infinitum, oportet devenire ad aliquid, quod ex sola bonitate divinae voluntatis dependeat.

Immo eam praesupponit.

§. CLXXIII.

Quo sensu alia tribuantur justitiae, alia misericordiae.

Sunt quidem aliqua Dei opera, quae attribuuntur justitiae, et alia, quae attribuuntur misericordiae. Sed id non eo sensu accipiendum est, quasi unum attributum agat sine alio, sed quia in quibusdam operibus magis apparet justitia, in aliis magis relucet misericordia. Sic etiam intelligendum est illud Jac. II. 13. *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam*: non quia in damnatione reproborum Deus nullo modo misericors sit, sed quia in illis plus apparet justitia Dei punientis, quam misericordia parcentis. Ceterum commune fere (*)

(*) Dixi fere, quia non desunt Theologi, qui censent, reprobos non infra meritum, sed ex rigida justitia puniri, quorum rationes exhibet Estius in 4. Dist. 46. §. 4.

Theologorum effatum est, Deum punire citra condignum.

§. CLXXIV.

Justitia, et misericordia Dei non se excludunt.

Neque vero ulla est repugnantia, quod in iisdem operibus justitia, et misericordia inveniatur, quae duo attributa, cum infinita sint, se mutuo excludere videntur. Non inquam; neque enim putandum est, ad justitiam Dei vindicativam pertinere, ut numquam parcat, aut nihil de poena remittat, quod inexorabilis inclementia esset potius, quam justitia. Suprema igitur, et infinita Dei sapientia novit praemia, et supplicia ita temperare, ut nec misericordiae in puniendo, nec justitiae in parcendo jura laedantur. Pulchre pro more suo S. Augustinus in Ps. C. *Nemo sibi ad impunitatem blandiatur de misericordia Dei, quia est et judicium, et nemo in melius commutatus exhorreat judicium Dei, quia praecedit misericordia. Homines enim, quando judicant, aliquando victi misericordia faciunt contra justitiam; et videtur in eis esse misericordia, et non esse judicium; aliquando vero rigidum volentes tenere judicium, perdunt misericordiam. Deus autem nec in bonitate misericordiae perdit judicii severitatem, nec in judicando cum severitate amittit misericordiae bonitatem.*

CAPUT XXII.

De Bonitate Dei.

§. CLXXV.

Deus bonus est per essentiam.

Innumera sunt Scripturae loca, quae hoc divinum attributum commendant; immo Lucae XVIII. 19. Servator noster soli Deo hoc attributum convenire testatur inquiens: *Nemo bonus nisi solus Deus*; quia videlicet solus Deus a se ipso, et secundum suam essentiam habet omnimodam perfectionem; et etiam, quia Deus est causa omnis bonitatis, quae invenitur in creaturis: causa inquam efficiens exemplaris, et finalis; unde etiam sequitur, omnia bona, quae inveniuntur in creaturis, non esse nisi participatio-

nes divinae bonitatis, atque adeo Deum solum esse summum, et verum bonum. *Omnia bona*, inquit S. Augustinus sermon. 29. *a Deo bona, non a se. Qui fecit haec, super omnia est bonus, quia nullus eum fecit bonus, sed a se ipso bonus est: nec tamen sibi soli, sed et nobis bonus est: confitemini ergo Domino, quoniam bonus est.* Haec postrema verba nobis in memoriam revocant praeclaram illam S. Bernardi reflexionem epist. 11. cap. 12. Est *qui confitetur Domino, quoniam potens est; et est qui confitetur, quoniam sibi bonus est; et item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est.* 1. *Servus est, et timet sibi*: 2. *mercenarius est, et cupit sibi*: 3. *Filius, et defert Patri. Itaque et qui timet, et qui cupit, uterque pro se agunt: sola, quae in filio est caritas, non quaerit quae sua sunt.*

Et causa omnis bonitatis in creaturis.

CAPUT XXIII.

De Dei omnipraesentia, seu immensitate.

§. CLXXVI.

Nomine omnipraesentiae, vel immensitatis Dei Theologi illud attributum intelligunt, quod *Ubiquitas* appellari solet, et ratione loca cujus Deus ubique praesens est, immo omnia loca occupat; unde etiam ore Jeremiae inquit XXIII. 24. *Caelum, et terram ego impleo*; ita tamen, ut ceteras res non excludat, sed illas intime pervadat.

Quid sit Dei omnipraesentia.

§. CLXXVII.

Hanc Dei perfectionem admodum multi inficiati sunt; et 1. ii omnes, qui Deum corporeum esse fabulabantur, eum certis spatiis circumscribere coacti erant, ut aliis corporibus locus esset. 2. Manichaei, omnesque Dualistae neutrum primum principium immensum dicere poterant; quo errore se etiam fuisse aliquando implicitum, humiliter fatetur Sanctus Augustinus Lib. 5. *confess.* cap. 1. et 5. 3. Rudiores quosdam inter Judaeos putasse, Deum in templo concludi, referunt Origenes Hom. 12. *in Genes.* et Sanctus Hieronymus ad cap. 66. Isaiae; quibus S. Hilarius Lib. 2. *de Trin.* num. 31. addit etiam Samaritanos, qui stulte credebant, *aut collis edito,*

Quinam eam negaverint.

aut extructae domus concavo Deum contineri. Demum ex recentioribus heterodoxis, Deum esse ubique sua substantia, negarunt Phil. de Marnix Calvinianus, *in epist. ad Theod. Bezam*, et Conr. Vorstius ejusdem sectae. Sociniani autem, ut in multis aliis, ita in hoc Ecclesiae catholicae dogmate se dubios ostendunt; quibus pollicem premit Beausobrius, hunc errorem nec magnum esse, nec Religioni perniciosum contendens.

§. CLXXVIII.

Probatur omnipraesentia Dei ex sacris Litteris.

At vero facile est 1. ex sacris Litteris Dei immensitatem ostendere: nam in Ps. CXXXVIII. dicit regius Psaltes: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Jobi XI. 8. et 9. dicitur: *Excelsior caelo . . . profundior inferno . . . longior terra mensura ejus, et latior mari:* et II. Paral. VI. 18. Salomon Deo ajebat: *Si coelum, et coeli coelorum te non capiunt, quanto magis domus ista, quam aedificavi?* Ac denique ne omnia persequar, Paulus de Deo dicebat Act. XVII. 27. *Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus*; quem locum expendens S. Joan. Chrysostomus: *Vide*, inquit, *quomodo illos refellit, qui Deum in aliqua parte collocant.*

§. CLXXIX.

Quae non possunt explicari de sola virtute Dei.

Non sum nescius, haec, aliaque id genus Scripturae loca explicari a Socinianis de sola immensitate virtutis Dei, non autem de immensitate essentiae ipsius, quam volunt ex uno certo loco ubique virtutem suam diffundere, non secus ac Rex, qui omnia in Provinciis etiam a se remotis administrat, et regit. Verumtamen isti non bene considerant, virtutem, atque operationem Dei, ab ejus essentia non distingui. Sic S. Basilius Lib. 5. *adv. Eunomium*, ex hoc ipso colligebat, Dei substantiam esse ubique locorum, quia divina virtus est ubique diffusa: *cum in simplici et corporis experte natura eadem sit ratio substantiae, et actionis*; et S. Anselmus *de Incarnat.* cap. 4. *Idem est*, inquit, *esse Dei, et potestas ejus. Sicut itaque potestas Dei est sem-*

per, et ubique, ita quidquid est Deus, semper, et ubique est.

§. CLXXX.

Infinitus porro essem, si omnia Patrum testimonia huc spectantia referre vellem; sed duobus contenti erimus. S. Joan. Chrysostomus explicans ea verba Psalmi CXII. *Qui in altis habitat, et humilia respicit in caelo, et in terra: Ostendit,* inquit, *illum ubique esse, illic, et hic; non enim tamquam aliquis in caelo conclusus eminus videt, quae sunt in terra, sed ubique praesens, et omnibus assistens.* S. Augustinus autem adhuc expressius Dei immensitatem declarat epist. 187. ad Dardanum cap. 4. inquiens: *Sic est Deus per cuncta diffusus . . . non tamen per spatia locorum quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus: sed est in solo caelo totus, et in sola terra totus, et nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus.* Prob. etiam ex SS. Patribus.

§. CLXXXI.

Sed fortasse Sociniani libentius argumenta audient ex ratione depromta. At vero si Deum esse ens summe necessarium nobiscum confitentur, illudque a nulla prorsus causa esse productum, sed necessitate suae naturae existere, quonam modo, vel a qua causa ad certum locum quasi relegari potuit? cur certa spatia debuit occupare, et non alia? Certe Plotinus Philosophus Platonicus solo rationis lumine hanc Dei immensitatem agnovit, immo mirum illi videbatur, posse ab aliquo ignorari; contendebat enim Enneade VI. Lib. 5. cap. 4. *id omni humanae insitum esse naturae, ut sicut esse Deum existimet, etiam ubique esse totum arbitretur.* Ac demum ratione.

§. CLXXXII.

Fallitur autem Baelius, dum immensitatem cum incorporea Dei natura conciliari non posse autumat; hanc enim difficultatem longe antea praeoccupavit S. Thomas 1. P. Q. 8. art. 2. ad 3. ubi observat, Deum esse in loco non ratione *quantitatis,* sed ratione *essentiae*; essentia autem non commensuratur Dei immensitas non obest ejus simplicitati.

loco, sed tota est in omnibus partibus; quamobrem etiam Dei essentia non extenditur in loco, quasi una ejus pars sit in uno loco, altera in alio, sed tota ubique. Id explicat S. Thomas exemplo albedinis, quae licet secundum quantitatem sit coextensa superficiei, ita ut una pars uni superficiei parti respondeat, altera alteri, essentia tamen albedinis tota est in qualibet parte superficiei albae, et tota in tota. Id ipsum explicat etiam S. Aug. laud. epist. 187. cap. 4. (*).

§. CLXXXIII.

Objectiones ex S. Scriptura.

Huic tamen Dei omnipraesentiae, seu immensitati obstare videntur quaedam sacrae Scripturae verba, quibus Deo assignatur tamquam sedes propria coelum, ut Ps. CXIII. vel templum Ps. X. 5. vel etiam anima justorum Jo. XIV. 23.; ac demum humanitas Christi, Coloss. II. 9. Insuper alibi tribuitur Deo motus de loco in locum, Gen. XI. 5. et Ephes. IV.

Solvuntur.

10. Verumtamen priora Scripturae testimonia intelligi debent de aliqua peculiari ratione, qua Deus in coelo residet, ut divitias majestatis, et gloriae suae beatis ostendat. Sic etiam in templis, in quibus sibi honorem, et cultum peculiariter a nobis exhiberi vult, nostrasque preces, et vota excipit: ac in animabus justis per gratiam suam santificantem; nam ut mox citatus Augustinus inquit: *Fatendum est, ubique esse Deum per Divinitatis praesentiam, sed non ubique per habitationis gratiam.* In Christo autem *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* per unionem hypostaticam.

§. CLXXXIV.

Quomodo dicatur moveri Deus?

Motus vero, qui nonnunquam in sacris Litteris Deo tribuitur nonnisi metaphoricus est. *Non loco*

(*) Putarunt aliqui, Deum non obstante summa ejus simplicitate dici posse extensum, quos ex principiis SS. Augustini, et Thomae refutavit Arnaldus in opere *Defense contre la response au livre des vraies et fausses idees.* Reprehenditur etiam Henr. Morus, qui in *Enchir. Metaph.* cum sibi demonstrasse visus esset, existere spatium reale, aeternum, immensum, inde colligit, hoc spatium esse ipsam Dei immensitatem: unde consequeretur, Deum simul cum spatio esse extensum.

movetur Deus, qui semper ubique est totus, inquit S. Augustinus Lib. 16. *de civit. Dei* cap. 5., *sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod praeter usitatum naturae cursum mirabiliter factum, praesentiam quodammodo ejus ostendat.*

§. CLXXXV.

Quid intelligatur per faciem Dei?

Sic etiam explicanda sunt ea Scripturae loca, in quibus dicitur Adam se abscondisse *a facie Dei* Gen. III. 8., et Cain *egressus a facie Domini* ib. IV. 16.; quod etiam de Satan affirmatur Jobi I. 12., et de Jona I. 3.; nam ut bene observavit S. Joan. Damascenus Lib. 1. *de fide orthod.* cap. 14. per faciem Domini quandoque in sacris Litteris denotatur ejusdem Dei *manifestatio, atque apparitio, quia nostra ipsorum manifestatio per faciem fit*, quamobrem *abscondere se, vel discedere, vel egredi a facie Dei* idem est, ac discedere ab illo loco, ubi Deus se visibili forma videndum praebuit. Ceterum neminem posse a Dei praesentia discedere, luculenter declarat David dicens: *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* Unde etiam S. Gregorius Magnus Lib. 2. *Moral.* cap. 8. expendens illud Jobi I. 12. *Egressusque est Satan a facie Domini: Quo igitur*, inquit, *ab eo exitur, qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest?*

§. CLXXXVI.

Spinozae animadversio refellitur.

Neque nos movere debet acuta Spinozae animadversio, scilicet Adam frustra quaesivisse latebras, si credidisset, Deum ubique esse; Adam enim in illa mentis perturbatione conscientiae morsibus agitatus, potuit de Dei omnipraesentia non cogitare; quod in vehementibus animi passionibus saepe contingit.

§. CLXXXVII.

Alia Spinozae objectio.

Objicit Spinoza *in Tract. Theolog. polit.* cap. 2. etiam Patriarchae Jacobi exemplum, quem Dei omnipraesentiam ignorasse, colligit ex ejus verbis Gen. XXVIII. 16. *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Sed id praeoccupaverat jam Sanct. Bernardus sermone 6. *in Dedicat.* inquiens: *Quo-*

Praeoccupata a S. Bernardo.

*modo tantus Patriarcha nescire potuerat, quod non esset locus, ubi non esset Deus? sed forte aliud esse miratus est, ubi ait: *Vere Dominus est in loco isto . . . Est ergo in omni loco omnia universaliter continens, omniaque disponens, sed longe tamen aliter, atque aliter. Apud homines malos est praestans, atque dissimulans: apud electos homines operans, et servans: apud superos praesens, et cubans: apud inferos arguens, et damnans.*

§. CLXXXVIII.

Deus non inquinatur a sordibus.

Sunt etiam, qui indecorum Deo putant, si dicatur esse ubique, etiam in sordibus, in peccatoribus, vel in damnatis; sed sancti Patres variis utuntur exemplis, ut evincant, id Dei puritati nullam maculam inurere; nam neque radii solares inquinantur a sordibus, quas tangunt, neque anima polluitur, quod foedas etiam hominis partes vivificet; quanto minus Deus purissimus spiritus etc.

§. CLXXXIX.

Explicantur quaedam SS. Patrum dicta.

Est postremo etiam breviter observandum, nonnullos Ecclesiae Patres aliquando visos esse, non aliam Deo tribuere immensitatem, quam virtutis; sed plerique eorum eam dumtaxat essentiae divinae immensitatem negarunt, quam Stoici adstruebant contendentes, Deum instar animae omnia hujus universi entia pervadere. Aliquando etiam afferunt, Deum *nullibi* esse, vel *nuspiam*; sed solam localem circumscriptionem, vel corpoream extensionem excludere intendunt. Ita S. Augustinus serm. 1. *de verbis Apost.* cap. 1. *Deus*, inquit, *ita est incomprehensibilis, et immensus, ut sit ultra omnia, extra omnia, praeter omnia, ac proinde nullo possit loco circumscribi.*

§. CXC.

Hoc autem caput verbis S. Jo. Chrysostomi Hom. 2. in epist. *ad Hebr.* concludemus: *Multa de iis, quae de Deo mente versamus, ne possumus quidem eloqui; ac multa eloquimur, non possumus autem intelligere, v. gr. quod Deus ubique sit,*

scimus ; quomodo autem , non utique intelligimus . . . dixi esse ubique , sed non intelligo.

CAPUT XXIV.

De sanctitate Dei , et de Trisagiis.

§. CXCI.

Sanctitatis nomine intelligimus hic perfectam ab omni peccati macula , immo vel ab ipsa umbra , et suspicione peccati immunitatem , quam Deo convenire certissimum est , tum ex iis , quae Cap. XXII. diximus de ipsius bonitate , tum ex generali notione perfectionis Dei : unde etiam Salvator , et Magister noster Christus Jesus nobis jubens , ut ad summum sanctitatis apicem semper anhelemus , dicebat Matth. V. 48. *Estote ergo vos perfecti , sicut et Pater vester coelestis perfectus est* ; et Levit. XXI. 8. de Sacerdotibus dicitur : *Sint ergo Sancti , quia et ego sanctus sum Dominus , qui santifico eos.* Hinc homines pii , et Angeli dicuntur *sancti* per imitationem , et participationem sanctitatis divinae , Deus autem habet sanctitatem a se , et per suam essentiam. Illi sanctitatem habent finitam , et limitatam ; Deus autem infinitam , et perfectissimam. Hinc illa vox Seraphim clamantium , et dicentium : *Sanctus , sanctus , sanctus , Dominus Deus exercituum , plena est omnis terra gloria ejus.* Isaiae IV. 3. , et Apocal. IV. 8.

Deus sua essentia sanctus est.

Homines autem participatione.

§. CXCII.

Ex hujusmodi revelationibus ortum est illud *trisagion* , quod Ecclesia in Missis recitare solet , ita dictum , quod vox illa *sanctus* ter repetatur ; quod Graeci vocare solent ἐπινίκιον , seu hymnum *triumphalem.* Alii dicunt *Angelicum* , quia illum ab Angelis edocta est Ecclesia , unde Tertullianus in Lib. *de Orat.* cap. 3. *illa Angelorum circumstatio* , inquit , *non cessat dicere Sanctus , sanctus , sanctus.* Cum quondam nonnisi in solemnibus Missis hoc *trisagion* recitaretur, Concilium Vasense an. 529. sanxit , ut nec in aliis Missis omitteretur , *quia tam*

Trisagii origo.

dulcis, *et desiderabilis vox*, *etiamsi diu noctuque posset dici*, *fastidium non potest generare* (*).

§. CXCIII

Aliud *trisagion*, ejus origo.

Praeter hoc *trisagion* omnibus Ecclesiis commune, aliud est, quod Graeci quidem quotidie, Latini autem nonnisi in magna Paresceve cantant: nempe *Sanctus Deus*, *sanctus fortis*, *sanctus immortalis*, *miserere nostri*. Ejus origo ab eo miraculo repetenda est, quod Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, Theophanes, aliique Scriptores graeci narrant. Cum anno 446. urbs Constantinopolitana terribili, ac diuturno terrae motu concussa esset, et populus extra urbem una cum Patriarcha S. Proclo Deum suppliciter oraret, ut a terribili flagello liberaretur, repente puerulus quidam, omnibus spectantibus in aera sublatus est tam alte, ut ex spectantium oculis penitus evanesceret, et iterum post aliquam temporis moram visus est in terram descendere prope S. Proclum, cui etiam retulit, se choris Angelorum interfuisse, utque ab illis cantari audivisse hunc divinae glorificationis hymnum: *Sanctus Deus*, *sanctus fortis*, *sanctus immortalis*, *miserere nostri*, atque hujus *trisagii* repetitione Deum placatum iri. Cum Sanct. Proclus hoc fieri jussisset, terrae motus cessavit, et populus hymnum cantans in urbem laetus redivit (**).

(*) Hugo Menardus jam a tempore Concilii Nicaeni hujus *trisagii* usum in Ecclesia fuisse putavit, ejus tamen rei monumenta certa non profert Tillemontio judice Tom. 14. *Monument.* etc. pag. 713.

(**) Ita fere hanc rem narrant Theophanes Lib. 14. cap. 46., et S. Joan. Damascenus Lib 3. *de fide orthod.* cap. 10., auctores sec. VIII., ante quos tamen aliquam hujus rei mentionem facit Jobus, qui sec. VI. vixisse putatur. Hos autem secuti postea sunt Graeci recentiores, ut Cedrenus, qui Theophanem exscribit, et Balsamon, qui exscripsit S. Joannem Damascenum, Constantinus, Manasses, Nicephorus, et Menologium Graecorum, a quibus duobus postremis additur, puerum illum statim obiisse. Sunt tamen critici, qui huic miraculo, utpote a posterioribus tantum Historicis memoriae tradito, indubiam fidem praestare nolunt.

§. CXCIV.

Huic *trisagio* aliquid postea addere tentavit Petrus Fullo Eutychianus Episcopus Antiochenus, qui circa ann. 475. ita cum suis canebat: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, qui passus est pro nobis.* Quam additionem etiam nonnulli Catholici adoptarunt, *trisagion* ad Jesum Christum dirigentes; quod ut clarius intelligeretur, Calandio Episcopus Antioch. ann. 481. haec verba addidit: *Christe rex noster.* Quia tamen in sensu obvio hoc *trisagion* ad Trinitatem exprimendam, et glorificandam institutum videtur, ideo alii Catholici additionem recipere recusarunt, eamque damnavit Synodus Trullana Can. 81, et 82. an. 692. (**). Additiones trisagio factae.

§. CXCV.

Claudimus hanc brevem de *trisagiis* notitiam verbis S. Ambrosii Lib. 3. *de Spiritu Sancto* cap. 8. *Cherubim, et Seraphim indefessis vocibus laudant, et dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Non semel dicunt, ne singularitatem credas: non bis dicunt, ne Spiritum excludas: non sanctos dicunt, ne pluralitatem aestimes; sed ter repetunt, et idem dicunt, ut etiam in Hymno distinctionem Trinitatis, et Divinitatis intelligas unitatem. Haec cum dicunt, Deum praedicant.* Conclusio.

CAPUT XXV.

De beatitate, gloria, et majestate Dei.

§. CXCVI.

Beatitas, definiente Boethio de *consol. Phil.* prosa 2., *est status omnium bonorum aggregatione perfectus*; hunc autem statum essentialiter, et perfe- Beatitas Dei.

(**) Sed de hac re legi meretur epistola S. Io. Damasceni ad Jordanem Archimandritam *de hymno trisagio*, una cum admonitione doctissimi P. Lequien tom. 1. Opp. S. Jo. Damasc. p. 478.

etissime Deo convenire ostendunt ea Apostoli verba I. Timoth. VI. 15., quibus vocatur Deus *beatus*, *et solus potens*, *Rex regum*, *et Dominus dominantium*. Quae verba expendens Theodoretus *comment.* in Ps. I., *Nomen beatus*, inquit, *divina appellatio est: testis est divinus Apostolus*, *exclamans*: *Beatus*, *et solus potens etc.* Ostendit etiam ratio; cum enim Deus sit summum bonum (§. 175.) et perfectissime se ipsum cognoscat (§. 118.), non potest non-esse summe felix, ac beatus. Monendum est tamen, hanc omnium bonorum aggregationem, ex qua beatitudinem exsurgere diximus cum Boethio, in Deo non esse per quamdam compositionem, sed modo simplicissimo, qualis Deo convenit. Ceterum hoc Dei attributum etiam Ethnicis notum fuisse constat ex Cicerone Lib. 1. *de Nat. Deorum*, ubi inquit: *Ea est Dei vita*, *qua nihil beatius excogitari potest.*

§. CXCVII.

Gloria, et honor.

Gloria, quando de Deo dicitur, eam excellentiam summam significat, qua ipsum concipimus ut omni laudum celebratione dignissimum; et quam saepissime in sacris Litteris Dei gloria commemoratur. Immo soli Deo gloriam convenire testatur Apostolus I. ad Timoth. I. 16. inquiens: *Soli Deo honor*, *et gloria.* Hinc etiam est, quod Deus vocatur in sacris Litteris *Rex gloriae*. Ps. XXIII., et *Pater gloriae*. Ephes. I. 17.; et infinitus plane essem, si omnia loca Scripturarum afferrem, quibus ad Dei gloriam admirandam, et celebrandam excitamur. Sufficiant ea Ecclesiastici verba, XLIII., ubi postquam ex vario creaturarum genere Dei potentia, et sapientia commendata fuit, ita v. 32. quasi concluditur: *Glorificantes Dominum*, *quantumcumque potueritis*; *supervalebit enim adhuc*, *et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum exaltate illum*, *quantum potestis*, *major est enim omni laude etc.* Hinc etiam illa pia Ecclesiae consuetudo post omnes Psalmos, et alias saepe doxologiam repetendi, de qua pauca dicere opportunum ducimus.

§. CXCVIII.

Doxologia, si vim nominis attendamus, est gloriae alicujus celebratio. Quando autem ad Deum refertur, communiter significat hymnum, quo sanctissima Trinitas glorificatur his verbis: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui S.* Antiquissimus est in Ecclesia hujusmodi doxologiae usus; nec fides haberi debet Philostorgio, ejusque exscriptori Nicephoro, temere asserentibus, Flavianum Antiochiae Monachorum multitudine collecta *primum* acclamasse: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui S.*; nam multo ante Flavianum hanc doxologiam in Ecclesia obtinuisse vel ex solo S. Basilio liquet, qui Lib. *de Spir. S.* cap. 29. hunc hymnum, qui recitari solebat in gratiarum actione *ad lucernas*, antiquum fuisse dicit, quamquam illius auctorem se ignorare fatetur. Sed id obiter, nunc ad rem nostram. **Doxologia quid sit? Antiquissimus ejus usus.**

§. CXCIX.

Postremum numero ex infinitis Dei attributis illud considerandum sumimus, quod *Dei majestas* vocari solet, quo nomine intelligitur ille infinitus gloriae divinae splendor, cujus non infrequens est in sacris Litteris mentio. Sic Exodi XI. 33. dicitur Moyses non potuisse ingredi tectum foederis, *nube operiente omnia, et Majestate Domini coruscante.* Vocatur etiam *Deus majestatis* Ps. XXVIII. 3., et Ps. LXXI. 19. dicitur: *Benedictum nomen majestatis ejus in aeternum, et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.* Denique ne omnia persequamur; etiam Christus Dominus Matth. XXV. 31. se ad judicandos homines venturum dicit *in majestate sua*, atque sessurum *super sedem majestatis suae.* **Majestas Dei.**

§. CC.

Hactenus de praecipuis attributis, quibus tamquam lineamentis quibusdam supremum, et infinitum ens adumbrare conati sumus; et quamquam a vera cognitione Dei prout in se est, quam longissime absumus, certi tamen sumus, ea, quae hactenus tradidimus, utpote ex purissimis revelationis fontibus hausta, Deo convenire. Quamobrem cum in beata Patria illum videbimus, sicuti est, illud repetere **Conclusio.**

poterimus Ps. XLVII. *sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei. Audis primo*, inquit S. Augustinus, *quod non vides: videbis postea, quod audisti.* Interea nos hortatur idem S. Pater, ut ex perfectionibus, quas in creaturis videmus, ad considerandas, quoad fieri potest, infinitas Dei perfectiones assurgamus. *Qualis est*, inquiebat in Ps. 84. n. 9. *pulchritudo ejus, fratres cogitate: omnia ista pulchra, quae videtis, quae amatis, ipse fecit. Si haec pulchra sunt, quid est ipse? si haec magna sunt, quantus est ipse? ergo de istis, quae hic amamus illum magis desideremus, et contemnentes ista illum diligamus, ut ipsa dilectione per fidem cor mundemus, et mundatum cor nostrum inveniat aspectum illius.*

CAPUT POSTREMUM.

De attributorum distinctione tum inter se, tum a divina essentia.

§. CCI.

Error Anomaeorum, qui nullam distinctionem in Deo admittebant.

Duo hac in re oppositi sunt errores, nonnullae autem quasi mediae scholarum opiniones. Primos breviter confutabimus, alias solum innuere satis erit. Eunomius sec. IV. haereticus, et Anomaeorum antesignanus, ut viam ad impugnandam Christi Divinitatem sibi aperiret, negabat attributa Dei posse ab ejus essentia ulla ratione distingui; ex quo consequebatur, Patrem non potuisse Filio communicare suam essentiam, quin etiam omnia omnino sua attributa, atque ipsam quoque ἀγεννησίαν, id est attributum *innascibilitatis* eidem communicaret: cum autem Filius dici non possit ingenitus, inde colligebat Filium non esse Deum.

§. CCII.

Et eorum, qui realem adstruebant.

In oppositum errorem alii lapsi sunt, ponentes distinctionem realem, qualis invenitur in rebus creatis, inter essentiam divinam, ejusque attributa. Tribuitur hic error Gilberto Porretano, qui sec. XII. Ecclesiam Pictaviensem regebat; sed id certum omni-

no non est (*). Magis certum videtur, hunc errorem sec. XIV. fuisse a Gregorio Palama Episcopo Thessalonicensi in Ecclesia graeca disseminatum. Hic enim operationes a divina essentia realiter distinguebat, atque ipsa etiam attributa, quae ab essentia sicuti splendorem a sole profluere, ipsique esse inferiora comminiscebatur (**). Ejusdem erroris accusantur pariter Sociniani, qui Dei virtutem ab ejus essentia distingui dixerunt, ut inde colligerent Spiritum S. non esse Deum.

§. CCIII.

Aliqua debet esse in Deo distinctio.

Primus error eo est perniciosior, quo praecipuum et capitale religionis nostrae mysterium, scilicet Trinitatis aperte convellit; quamobrem in eo refutando sancti Patres Basilius lib. 1. *contra Eunom.*, ejusque frater Gregorius Nyssenus lib. 12. *adv. eundem Eunom.*, Cyrillus Alexand. in *Thesauro* plurimam operam navarunt. Potissimum autem argum. ad adstruendam aliquam distinctionem inter divina attributa ex eo desumitur: quia unumquodque eorum est in Deo secundum verissimam sui rationem, et ratio sapientiae non est ratio bonitatis; fundamentum igitur praebetur nostro intellectui distinguendi sapientiam a bonitate, et sic de ceteris.

(*) Gilbertus in Synodo Remensi habita coram Eugenio III. an. 1148. omnes errores, quorum accusabatur, humiliter revocavit. Si Othoni Frisingensi fides est, Gilbertus attributa Dei ab ejus essentia realiter non distinxit. Plerique tamen Othonis fidem suspectam habent, et potius credendum esse dicunt S. Bernardo, qui totius rei non solum testis, sed pars magna fuit, et qui serm. 80. *in Cant.* ad Gilbertum veluti digitum intendens: *Recedant*, inquit, *novelli non Dialectici, sed Haeretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, et item bonitatem, qua bonus, sed et sapientiam, qua sapiens, et justitiam, qua justus, postremo Divinitatem, qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant.*

(**) Absurdus hic error fuit plane in 4. Conciliis Constantinopoli a Schismaticis confirmatus, et Barlaamus, Acyndinus, aliique veri dogmatis defensores condemnati; quibus de rebus late disserit Leo Allatius Lib. II. *de perpetuo consens.* etc., et in Diatriba *de Simeonibus.*

§. CCIV.

Sed non realis.

Ne tamen unum scopulum evitantes, incidamus in alium oppositum, cautissim e monuerunt SS. Patres, *ne cum has voces audimus Pater, Deus, Omnipotens, nihil aliud, quam ejus qui est substantiam indicari concipiamus*. Ita S. Athanasius in lib. *de Synodis* n. 35.; cui consentit S. Basilius Epist. 189., et alii, quorum testimonia colligens S. Bernardus in Concilio Remensi, ἐμφατικῶς dicebat: *Scribatur stilo ferreo; immo ungue adamantino, et sculpatur in silice, quod divina essentia, forma, natura, Deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo vere est Deus.*

§. CCV.

Quam S. Litterae excludunt.

Idipsum etiam sacrae Litterae insinuant, quando nomina abstracta de Deo praedicant, ut Prov. VIII. 12. Deus dicitur *Sapientia*; et Christus dicit de se ipso Joan. XIV. 6. *Ego sum via, et veritas, et vita*; et id genus alia, quae de Deo in abstracto praedicari non possent nisi unum idemque essent cum ipsius essentia.

§. CCVI.

Et Ecclesia proscripsit.

Hinc jure merito contraria sententia fuit ab Ecclesia damnata 1. quidem in concilio Remensi an. 1148. sub Eugenio III.; deinde in magna Lateranensi Synodo an. 1215. sub. Innocentio III. qui cap. 2. *Nos*, inquit, *sacro, et universali concilio approbante credimus, et confitemur, ... quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem, et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus S.*; quo aperte declaratur, proprietates personales a divina essentia realiter non distingui. Demum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. an. 1439. sess. 18. cum Joannes *Theologus* seu Joannes de monte Nigro Dominicanus nomine Latinorum ita profiteretur: *Nos dicimus, substantiam* (divinam) *et personam, seu hypostasim esse idem re, differre autem nostro intelligendi modo*, Marcus Ephesius nomine Graecorum respondit: *Hac in parte nulla est inter nos discrepantia*; unde utriusque Ecclesiae consensus apparet.

§. CCVII.

Simul conciliantur dicta SS. Patrum.

Ita explicata doctrina Ecclesiae facile conciliantur plurima Sanctorum PP. dicta, quibus aliquando omnem attributorum distinctionem a Deo removere videntur, aliquando autem dicunt, quod *aliud sit Deo esse*, *aliud Patrem esse*, *vel Dominum esse*; quod *Filius non eo sit Verbum*, *quod sapientia*, *quia Verbum relative*, *sapientia essentialiter intelligitur*. Ita S. Augustinus Lib. 7. *de Trini*. cap. 2. et 4. Nimirum aliqua certe distinctio est admittenda; qua attributa a divina essentia, et inter se ipsa distinguantur; haec tamen distinctio realis esse non potest, propter summam Dei simplicitatem, quae ut omnem compositionem, ita omnem distinctionem excludit.

§. CCVIII.

Quaenam distinctio in Deo sit admittenda?

Quaenam autem sit haec distinctio, Scholastici disputant. Nos cum S. Thoma, ejusque discipulis ita rem explicamus. Deus quidem in se unus est, et simplicissimus; quia tamen *eminenter*, et *perfectissime* continet omnes illas perfectiones, quae in creaturis distinctae, et dispertitae inveniuntur, et quarum ratio, seu conceptus proprius diversus est, hinc fit, ut fundamentum praebeatur intellectui nostro, plura in Deo distinguendi: itaque Deus in se, et reipsa unus, et simplicissimus est, et omnem realem distinctionem excludit; est tamen simul *virtualiter* multiplex, unde admittit distinctionem virtualem, seu distinctionem rationis cum fundamento in re.

Distinctio rationis.

§. CCIX.

Ejus usus.

Atque hac distinctione potissimum opus est ad explicandum, quomodo Pater communicet Filio suam essentiam, non autem Paternitatem, quae unum idemque est cum essentia. Nimirum ut S. Thomas advertit q. 7. *de Pot*. art. 1. ad 5., de eo, quod est idem re, differt autem ratione, nihil prohibet contradictoria praedicari: sicut idem punctum re, differens autem ratione, est principium, et finis; et secundum quod est principium, non est finis, et e contrario. Unde cum essentia, et proprietates

sint idem re, et differant ratione, nihil prohibet, quod unum sit communicabile, et alterum incommunicabile.

§. CCX.

Nihil autem dicimus de Nominalium, et Scotistarum sententiis, quorum primi non aliter attributa divina distingui putant, quam extrinsece penes diversa connotata: alii autem intrinsece distingui censent distinctione *formali ex natura rei.* Nihil inquam dicimus; tum quia propositum nobis est a quaestionibus scholasticis, quoad fieri potest, temperare, tum quia non desunt eruditi, qui arbitrantur non magnam in his esse rerum controversiam, sed totam in verbis consistere.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS TERTIA.

DE DEO

UT TRINUS EST IN PERSONIS.

Quid est Deus? Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. S. Augustin. in Ps. XXIX.

§. I.

Nihil frequentius in sacris Litteris occurrit, quam Deum unum esse; immo earundem praecipuus scopus (P. II. §. 3.) est, ut explosa Deorum multitudine soli vero Deo debitus cultus, et honor reddatur. Eaedem tamen sacrae Litterae tres divinas Personas commemorant; obscurius quidem in Vet. Testam., perspicue autem, et frequentissime in Novo; unde veritas catholica utrumque concilians, unum Deum in Trinitate veneratur. Huic Ecclesiae dogmati sese opposuerunt sec. III. Sabelliani, ita dicti a Sabellio, non quia ipse fuerit primus hujus haeresis architectus, cum enim praecesserant Noethus, Praxeas, et alii; sed quia hanc sectam latius ceteris disseminavit. Porro Sabelliani, cum ignorare non possent, tria haec nomina *Patris*, *Filii*, et *Spiritus S.* saepius in sacris Litteris memorata, contendebant, iis nonnisi unicam personam designari; et nomine Verbi, seu Filii rationem, et sapientiam Dei intelligebant, nomine autem Spiritus S. divinam virtutem.

Deus unus, et trinus.

Trinitatem negant Sabelliani sec. III.

§. II.

Hanc sectam paulatim *evisceratam*, ac suo tempore tandem extinctam fuisse testatur S. Augustinus Tract. 40. *in Joan.* Sed illam Patrum nostrorum memoria ab orco revocarunt Sociniani, ita dicti a Laelio Socino, ejusque nepote Fausto, praecipuis hujus pestis disseminatoribus, quamquam eos praecessit Michael Servetus, Calvini opera Genevae anno

Quorum errores sec. XVI. renovant Sociniani.

1553. flammis damnatus. Sed haec ad historicos: nos primo Trinitatem personarum ex sacris Litteris, sanctorumque Patrum auctoritate vindicabimus; deinde quae spectant ad duas Personas Filii, et Spiritus S. addemus; et hanc totam materiam, qua majore poterimus diligentia tractabimus, ea praecipue de causa, quod haereses contra augustissimum Trinitatis mysterium, et magnas olim in Ecclesia ediderint strages, et nostra etiam aetate perniciose grassentur.

CAPUT PRIMUM.

Distinctio divinarum Personarum ex multis locis V. T. probatur.

§. III.

Confutantur autem ex pluribus locis V. T.

1. Plures esse Personas divinas, indicatum est iis verbis Gen. I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, quorum verborum sensum magis declarat Christus Dominus, Joan. V. 19. inquiens: *Quaecumque* (Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit.* 2. Praeterea aliqua duarum Personarum mentio habetur etiam Gen. XIX. 24. ubi dicitur: *Dominus pluit super Sodomam, et Gomorrham sulphur, et ignem a Domino*; id est Filius, qui apparuit Loth, pluere fecit sulphur, et ignem a Domino, scilicet a Patre, 3. In Ps. II. 7. expressa Patris, et Filii nomina habentur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; quo loco usus est S. Paulus Hebr. I. 5. ad Christi divinitatem ostendendam; quemadmodum Christus ipse Matth. XXII. 44. ad eamdem suam divinitatem comprobandam usus est illis verbis Psal. CIX. *Dixit Dominus Domino meo*; et eo quidem successu *ut nemo potuerit respondere ei*. 4. Totum Trinitatis mysterium haud obscure significatur in Ps. XXXII. 5. et 6. *Misericordia Domini plena est terra: Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* In quem locum ita commentatur S. Augustinus Enarr. 3. *Verbum certe Dei Filius est, et spiritus oris ejus Spiritus S. est . . . Trinitas ergo haec unus Deus: hunc adorat, qui novit adorare: hunc ubique habet,*

qui se convertit; *non enim quaeritur ab aversis*, *sed ipse vocat aversos*, *ut impleat conversos*.

§. IV.

Mysterium Trinitatis non fuit Iudaeis penitus ignotum.

Ex his, aliisque non paucis (*) V. T. locis aperte liquet, mysterium Trinitatis non fuisse Judaeis penitus ignotum. *Trinitas*, inquit S. Epiphanius in Lib. de *Haeres. semper in illa singulari Divinitate nunciata*, *creditaque ab aliis est*, *qui ceteris antecellerent*; *cujusmodi Prophetae*, *atque eximia sanctitate praediti homines fuerunt*. Et S. Fulgentius *de fide ad Petrum* cap. I. *Fides*, inquit, *quam S. Patriarchae*, *atque Prophetae ante Incarnationem Filii Dei divinitus acceperunt* . . . . *unum Deum praedicat Trinitatem*, *id est Patrem*, *et Filium*, *et Spiritum S.* Idem asserunt S. Gregorius Nazianz. *Orat.* 49. et alii plures, quos secutus S. Thomas inquit 2. 2. Q. 2. art. 8. *Eodem modo*, *quo mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicite creditum a majoribus*, *implicite autem*, *et quasi obumbrate a minoribus*, *ita etiam et mysterium Trinitatis*. Immo id satis luculenter Christus ipse indicavit, cum dixit, Abraham, multosque Prophetas, et alios viros justos desiderasse eum videre. *Matth. XIII.* 27. *et Joan. VIII.* 56.

§. V.

Quod evincit etiam Philonis Judaei testimonium.

Addi etiam potest Philonis inter Judaeos doctissimi testimonium, cui compertum fuisse mysterium Trinitatis nemo dubitat, cum sapientiam distinguat a Deo Patre, et Verbum Dei filium, et Deum appellet. (**) Atque his paucis non solum revincuntur

(*) Quae suppeditabunt Scholastici, ac praeter eos celebris Raymundus Martini in suo egregio opere *Pugio fidei*, quem exscripserunt Petrus Galatinus in 12. libris *de arcanis catholicae veritatis*, et Victor Porchet de Silvaticis *in sua victoria adv. impios Judaeos*. Martini opus immortale fuit a Jos. de Voisin multis notis auctum, et Parisiis editum anno 1651. et iterum a Joan. Bened. Carpzovio *cum introduct. ad Theol. Judaic.* Lipsiae 1687.

(**) Id multis ejus testimoniis demonstravit Prudentius Maran Ord. S. B. in Lib. 4. *Divinit. D. N. J. C.* cap. 1. ubi etiam Joannem Clericum refutat, qui Philonem non ex Litteris sacris, sed ex Philosophia Platonica hanc Trinita-

Judaei, et Sociniani, qui mysterium Trinitatis praefracte negant, sed etiam aliqui incauti Christiani, ut *Harduinus*, *et Berruyer*, qui pluribus locis scribere non sunt veriti, mysterium Trinitatis primo a Christo fuisse hominibus revelatum, veteribus autem Judaeis, immo ipsorum Legislatori Moysi penitus ignotum. Horum temeritatem Franc. Fitzjames Episc. Suession. pro meritis castigavit (*).

§. VI.

Revelatio Trinitatis in V. T. obscurior quam in N. T.

Fatendum est tamen, in V. T. non ita perspicuam inveniri hujus mysterii revelationem, qualis postea in novo foedere facta est; et populum rudem nonnisi implicitam ejusdem fidem habuisse. Porro a SS. Patribus nonnullae afferri solent hujus divinae oeconomiae rationes, sed adoranda sunt arcana Dei sapientiae consilia, ipsique gratiae habendae, quod nobis peculiare hoc manifestae revelationis beneficium impertiri voluerit.

CAPUT II.

Probatur eadem distinctio Personarum Divinarum multo luculentius ex N. T.

§. VIII.

Ex forma baptismi.

Primum et insigne ad hoc nobis suppeditat argumentum forma baptismatis a Christo instituta Matth. XXVIII. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: quamobrem eo usi sunt etiam Patres Constantinopolitani, ad explodendas haereses tum Sabellianorum, qui tres divinas hypostases negabant, tum Arianorum, et Macedonianorum, quorum primi Jesu Christi, alii autem Spiritus Sancti Divinitatem tollebant. Vid. eorum epist. Synod. apud Theodoretum lib. 5. *Hist. Eccl.* cap. 9.

---

tis cognitionem hausisse contendit. Multis hac de re agit etiam Moshemius ad §. 36. cap. 4. *System. Intel.* Rad. Cudworthi.

(*) Vid. ejus *Instr. Past.* an. 1760. P. 2. sect. 1. c. 6.

§. VIII.

Aliud luculentissimum Trinitatis testimonium nobis exhibet historia baptismatis Christi a Matthaeo, et Luca cap. III. et a Marco cap. I. descripta, ubi tres divinae Personae distincte, et expresse commemorantur, Pater quidem, et Filius in illa voce, quae de coelo intonuit: *Hic est Filius meus dilectus*; Sanctus autem Spiritus, qui *descendit corporali specie sicut columba in ipsum* (Christum). Quod etiam refertur Jo. I. 32. **Ex baptismo Christi.**

§. IX.

Nec minus distincta est Trinitatis mentio, quae legitur apud Joannem XIV. 16. ubi Christus inquit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis . . . Spiritum veritatis*; et iterum XV. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Ac demum decretorius est locus ille Epist. I. S. Joannis V. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*: quem locum genuinum esse cap. seq. probabimus. Nempe hic S. Evangelista digitum intendere videtur ad historiam mox expositam baptismatis Jesu Christi ubi tres ipsius Divinitatis testes fuerunt. **Ex S. Jo. Evangelista.**

§. X.

Multa sunt, quae Sociniani omnium haereticorum acutissimi ad eludendam vim horum argumentorum excogitarunt: nos praecipua tantum attingemus. 1. Ex quo in forma baptismatis Filius, et Spiritus S. simul conjungantur cum Patre, non sequitur, inquiunt, eos esse duas Personas ejusdem substantiae cum Patre; non desunt enim exempla in aliis Scripturae locis, quibus creaturae simul conjunguntur cum Deo, ut cum Paulus I. ad Timot. V. 21. inquit: *Testor coram Deo, et Christo Jesu, et electis Angelis ejus*: etiam I. Corinth. X. 2. simul cum persona Moysi conjunguntur res inanimatae; dicitur enim de Israelitis: *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari.* **Unitariorum effugia.**

§. XI.

Praecluduntur.

Si qua tamen est in hoc argumento difficultas, certe Sabellianis non favet, quos modo impugnamus; semper enim verum erit, in forma baptismi tres distingui Personas, quod illi negant. Sed praeterea maxime notandum est illud *in nomine*, quod et ex ipso textu, et ex consueto loquendi more in sacris Litteris invocationem designat; ut cum S. Petrus Actor. III. 6. dicit claudo: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula.* Cum ergo eadem prorsus ratione Pater, Filius, et Spiritus S. invocetur, unam esse omnium trium dignitatem, adeoque et essentiam luculenter significatur. *Non ergo*, inquit S. Ambrosius cap. 13. in Lucam, *aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus S. quia unus Deus; non plura nomina, quia non tres Dii.* Porro in allatis Scripturae textibus, et in aliis, qui afferri possunt, nulla est talis invocatio, qua designetur una dignitas Dei, et creaturarum.

§. XII.

Sociniani nomine Spiritus S. intelligunt gratiam Dei.

A vero etiam hujus textus sensu abludunt veteres, novique Sabelliani, cum nomine Spiritus S. intelligunt non Personam, sed gratiam, abutentes similibus textibus, quibus nomine Spiritus S. gratia sanctificans intelligitur, ut Marci I. 8. *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu S.* et Act. I. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu S.*, id est gratia. Addunt alia loca, in quibus simul cum divina persona conjungitur Dei virtus, ut Act. XX. 32. *Commendo vos Deo, et verbo gratiae ejus*; et Ephes. VI. 10. *Confortamini in Domino; et in potentia virtutis ejus.*

§. XIII.

Sed in forma baptismi nomine Spiritus S. intelligitur Persona.

Aberrant inquam Unitarii, dum ex aliquibus locis, in quibus Spisitus S. nomine dona gratiarum significantur, concludunt, etiam in ceteris locis nonnisi de gratiae donis sermonem esse. Nam in forma baptismatis Spiritum S. pro persona sumi longe evidentissimum est; 1. quia cum eodem modo dicatur in Nomine Spiritus S., ac Patris, et Filii,

quemadmodum Pater et Filius personae sunt, ita etiam persona debet esse Spiritus S. 2. Cum S. Paulus Act. XIX. Ephesi quosdam invenisset, qui nihil de Spiritu S. se audivisse dicebant, Apostolus vehementer admiratus eos interrogavit: *In quo ergo baptizati estis?* nempe prodigii loco ipsi erat, eos saltem in forma baptismatis nihil audivisse de Spiritu S.: at vero quis unquam credat, fuisse illos Ephesios adeo in Religione rudes, ut esse virtutem Dei ignorarent? si ergo in forma baptismi nomine Spiritus S. nonnisi Dei virtus exprimeretur, esse Spiritum S. ignorare non potuissent Ephesii. Addimus denique plura alia Scripturae loca, in quibus Spiritus S. dicitur procedere a Patre, mitti a Filio, docere omnem veritatem, testimonium reddere Jesu Christo, consolari Apostolos, etc. Vid. Joan. cap. XIV. et XV. Non est autem verisimile, omnes istas locutiones tam frequenter usurpatas esse metaphoricas.

§. XIV.

Unitariorum objectio dispungitur.

Neque huic veritati catholicae obstant ea Christi verba Joan. XVIII. 3. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Ea enim explicat S. Athanasius Orat. 4. contra Arianos, ut excludant falsa Gentilium Numina; non autem ut excludant Filium, de quo idem S. Joannes in prima Epist. V. 20. inquit: *Hic est verus Deus, et vita aeterna*, aut Spiritum S., quem Christus ipse dicit procedere a Patre.

§. XV.

Quo sensu in sacris Litt. dicatur unus Deus.

Similiter explicantur verba S. Pauli I. Corinth. VIII. 5. *Nam etsi sunt, qui dicuntur Dei sive in coelo sive in terra . . . . . nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia*; et pariter Ephes. IV. 6. *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.* Nimirum et haec dicta sunt ad exclusionem falsorum Numinum, non autem Personarum Filii, et Spiritus S. Nec obest, quod ibi Filius non appelletur *Deus*, sed *Dominus*, et quod Spiritus S. nulla fiat mentio; alibi enim et Filius appellatur Deus, ut et

Spiritus S.: et a Patre et Filio distinctus expresse commemoratur. Nonnumquam etiam nomen Dei in Scripturis sumitur pro essentia divina, quae una est, et tres personas complectitur.

§. XVI.

Non solum Pater est Deus.

Aliquod causae suae praesidium etiam collocant Unitarii in iis Apostoli verbis I. Corinth. XII. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*: quasi vero plures indigitentur personae; quarum tamen nonnisi una sit Deus. Verumtamen falluntur Unitarii; nam 1. nihil prohibet, quin tribus illis appellationibus una Spiritus S. persona intelligatur, quae modo *Deus*, modo *Dominus*, modo *Spiritus* proprio nomine nuncupetur. Quod si etiam detur ibi tres personas distingui, dicendum erit, solum Patrem appellari *Deum*, quia ceterarum fons est et origo.

CAPUT III.

Ostenditur Vers. VII. cap. V. Epist. I. S. Joan. esse genuinum. (*)

§. XVII.

Probatur ex testim. Eccl. Rom.

Ejusdem enim mentio in Ecclesiis Romana, Africana, Gallica, Hispana, et Orientali a primis usque temporibus invenitur. Et quidem in Ecclesia Romana hunc Versiculum lectum fuisse, testis est Cassiodorus in suis *complexionibus*, ad hunc locum

(*) Id pertinaciter negant Sociniani, imprimis autem Crellius in epist. ad Lacroizium, quibus de more subscribit Jo. Clericus *in arte critica*, P. 3. sect. 1. cap. 14. Dolendum est, etiam nonnullos Catholicos in hac re Socinianis adhaerere, inter quos eminet Richardus Simonius, qui totus in eo est, ut istud comma supposititium ostendat; quod etiam non ita pridem conatus est Lud. Four, Abbas de Longerute. Erasmus in duabus prioribus editionibus N. T. 1516. 1519. Basileae eum versum praetermisit; restituit quidem in tertia, an 1522. sed dubius semper de ejus αὐθεντία visus est.

inquiens: *Cui rei testificantur in terra tria mysteria, aqua, sanguis, et spiritus: in coelo autem Pater, et Filius, et Spiritus S.: et hi tres unus Deus sunt.* Porro quamvis Cassiodorus nonnisi Sec. Ecclesiae VI. floruerit, cum tamen asserat *in praefat. Institut. divin. Litter.* se magno labore priscos codices consuluisse, credere debemus, in iis codicibus, qui ad primam aetatem pertinuisse videntur, hunc versiculum repertum fuisse.

§. XVIII.

Secundo ex testim. Ecclesiae Africanae.

In Ecclesia autem Africana, quae primis seculis nulli alteri inter Occidentales doctrinae laude cedebat, communis fere erat hujus Versiculi mentio; nam ut omittam Tertullianum, qui *adversus Praxeam* cap. 31. obscure illum indigitat, S. Cyprianus sec. III. in libro *de unit. Eccl.* cap. 4. *De Patre*, inquit, *et Filio, et Spiritu S. scriptum est: et hi tres unum sunt*: quae etiam repetit in epist. ad Jubajanum. Porro S. Cyprianum digitum intendisse ad versic. S. Joannis, cum per se patet, tum magis etiam manifestum fit ex auctoritate S. Fulgentii Episcopi Ruspensis in eadem Africa, qui in resp. ad decimam object. Arianorum, *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium perhibent in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus. Quod etiam beatissimus Cyprianus in Epist. de unitat. Eccl. confitetur dicens etc.* Ulterius sec. V. jam inclinante passim in Ecclesia Africana notum fuisse hunc versiculum, ac pro genuino habitum, luculentissime constat ex illa professione fidei, quam Episcopi CCCCLXI. in Concilio congregati praeside Eugenio Carthaginensi Antistite obtulerunt Hunnerico regi Arianorum: in ea enim inter alia plurima hoc etiam S. Joannis testimonium tanquam indubium Arianis objecere; neque eos de ejusdem αὐθεντία litem movisse constat.

§. XIX.

Tertio ex testim. Ecclesiae Gallic.

In Galliis expressum, disertumque hujus Versiculi testem habemus S. Eucherium Lugdunensem Episcopum Sec. V., qui in libro *formular. spiritual.* cap. 11. versic. hunc recitat, et ab octavo distinguit; ejusdemque aliquam mentionem, quamquam non omnino claram, sec. praeced. fecerant

SS. Phaebadius Aquitanus in lib. *contra Arianos*, et Hilarius Pictaviensis epist. 1.

§. XX.

Quarto ex testim. Ecclesiae Hispanae.

Nec desunt testimonia Ecclesiae Hispanae; nam ut omittam auctorem librorum *ad Varimadum* sub nomine Idatii, auctorem item librorum *de Trinitate*, qui eidem Idatio ab aliquibus tribuuntur, Etherius Uxamensis Episcopus, et Beatus Presbyter uterque in primo libro adversus Elipandum memoratum versiculum habent.

§. XXI.

Quinto ex testim. Ecclesiae Orient.

Addimus postremo etiam testimonia Ecclesiae Orientalis; nam 1. hic versic. reperitur in liturgico Graecorum libro, qui Ἀπόϛολος inscribitur, et praecipitur legendus in feria 5. hebdomadae XXXV. Extat deinde in professione fidei graeco-latina edita in Concilio Lateranensi IV., cui Concilio interfuerunt duo Patriarchae, Constantinop., et Jerosolym., Legati insuper duorum aliorum Patriarcharum, Alexandrini, et Antiocheni, pluresque alii Metropolitae, et Episcopi graeci; unde patet utriusque Ecclesiae hac in parte consensus.

§. XXII.

Sexto ex codicibus latinis.

Huic argumento, quod sane validissimum est, accedit et aliud, ductum ex antiquis codicibus probatae fidei, tam latinis, quam graecis, qui laudatum comma tamquam genuinum habent. Et latinorum quidem multo major est copia; extat enim in Remensi, quo utebatur sec. IX. Hincmarus, in Sangermanensi, Argentoratensi, et multis aliis ejusdem aetatis. Lucas Burgensis ex 33 codicibus, quos multo labore lustravit, nonnisi quinque reperit hoc versiculo carentes. Ii etiam addi possunt, quibus Card. Ximenes ad suam editionem Bibliorum Complutensem usus est an. 1510., in cujus praefatione dicitur consulta fuisse *exemplaria antiquissima, quibus fidem derogare nefas videbatur*. Et ut multos alios praeteream, legitur controversum comma in codice maximi pretii FF. Praedicatorum Conventus Parisiensis S. Jacobi, qui observante P. Jac. Echard (*in Hugone de S. Charo*) ante annum 1236.

ex antiquissimis codicibus summa diligentia collatis exscriptus fuit. Uno verbo tanta latinorum codicum copia nobis suffragatur, ut Richardus ipse Simonius fateatur circa sec. *X. pauca extitisse latina exemplaria N. T.*, in quibus hic versus desideraretur.

§. XXII.

Septimo ex codicibus graecis.

Graeci codices, qui hunc versiculum habeant, pauci quidem sunt, non tamen nulli, ut falso putavit Sam. Chandlerus in *Praef. ad complex. Cassiodori*. Memorandus ante omnes venit codex Britannicus, cujus auctoritate impulsus est Erasmus, ut hunc versiculum sacro textui restitueret, cum in duabus prioribus editionibus omisisset. Alium antiquissimum Vaticanum memorat Amelotius. Tertius habetur in Academia Dublinicnsi. Calvinns, et Beza testantur in melioribus codicibns graecis sua aetate extitisse. Ac demum in pluribus aliis vetustis codicibus olim lectum fuisse, manifestum fit ex testimoniis SS. Patrum supra allatis.

§. XXIV.

Demum ex Concilio Trident.

His omnibus accedit etiam auctoritas Concilii Tridentini, quod sess. IV. post enumeratos canonicos libros utr. Test. ita decrevit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris, et canonicis non susceperit . . . anathema sit.*

§. XXV.

Objectiones contra hunc vers. ex codicibus, in quibus deest.

Qui tamen hnnc versiculnm aut plane supposititium, aut saltem dubium esse contendunt, non pauca, nec levia afferunt argumenta, quorum duo sunt potissima, nec dissimulanda. Primum repetitur ex multis codicibus cum latinis, tum maxime graecis, in quibus hujusmodi versiculus desideratur; deest namque in 7. bibliothecae regis Galliae, in totidem, quibus usus est Robertus Stephanus, in 5. biblioth. Colbertinae, in 2. Brugensibus S. Donatiani, teste Erasmo in uno Vaticano, in versionibus Arabica, Æthiopica, et in Syriaca, quae est omnium antiquissima. Praeterea in aliquibus codicibus hic ver-

sus postponitur octavo, in aliis positus est ad marginem; in quibusdam supra lineas: unde conjicit Simonius, fuisse 1. instar scholii positum ad marginem, deinde in textum irrepsisse.

§. XXVI.

Iis tamen praeferendi sunt alii, in quibus adest, duabus de causis.

Huic difficultati, quae non levis est, occurrimus observando, codices, in quibus versiculus VII. habetur, esse praeferendos aliis, duplici potissimum de causa. Prima est, quod facile unius, aut plurium librariorum oscitantia contingere potuit, ut versus VII. ὁμοιοτέλευτος omitteretur. Similis negligentiae praesto sunt exempla non pauca: unum afferemus causae nostrae propinquum. In Libro 1. Facundi Hermian. cap. 3. edit. Paris. Jac. Sirmondi ita habetur: *Non ergo ait Joannes: Tres sunt Personae, quae testificantur in terra, spiritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt: quid ergo* etc.; ibi autem magnum cubat mendum, quod in edit. Veneta an. 1728. ex collatione cum antiquissimo codice Capituli Veronensis sublatum est, itaque lectio restituta: *Non ergo ait Joannes: tres sunt Personae, quae testificantur in terra, spiritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt; sed hoc potius: Tres sunt, qui testificantur in terra, spiritus, aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt: quid ergo* etc. Quemadmodum igitur incuria librarii haec secunda pars omissa fuit propter similitudinem verborum, ita in casu nostro etc. Altera causa est, quod non appareat, quomodo potuisset iste versiculus addi, quin corruptio sacri textus in oculos virorum sapientium incurreret, qui certe pro zelo Religionis fraudem explosissent.

§. XXVII.

Nec obsunt quaedam in iis varietates.

Quod autem alicubi vel supra lineas, vel ad marginis oram, vel etiam post versiculum VIII. scriptus fuerit (*), non probat, ut vult Simonius, il-

(*) Ita postponitur in *Complexion.* Cassiodori, in Lib. adv. Varimadum, in duobus codicibus Sangermanensibus, et in uno Ottoboniano. Vid. PP. Benedictini *dans le nouveau traité diplom.* tom. 3. pag. 195., qui hanc transpositionem in pervetusto codice invenerunt.

lum per modum Scholii fuisse primo additum, deinde in textum intrusum; sed potius librarios animadversa omissione defectum, quo meliori modo potuerunt, supplere voluisse. Hinc nonnunquam versiculus eadem prorsus manu additus reperitur, ut in codice olim Corbejensi, nunc Sangermanensi.

§. XXVIII.

Alia difficultas ex silentio veterum PP.

Altera difficultas non contemnenda ducitur ex silentio plurium veterum Patrum, quibus tamen ad rem, quam tractabant, versiculus ille fuisset accommodatissimus. De eo nihil habet S. Irenaeus, ubi tamen ad Christi divinitatem probandam multa affert ex hoc ipso capite V. nihil pariter de eo habent SS. Athanasius, Hilarius, Gregorius Nazian., Basilius, Ambrosius, aliique, qui pro Trinitate defendenda nullum Scripturae sacrae testimonium omiserunt. Immo S. Augustinus lib. 2. *contra Maximinum* cap. 25. praetermisso versiculo VII. allegat VIII., eumque mystice de Trinitate explicat, quod etiam fecit Dionysius Alexand. scribens contra Paulum Samosatenum.

§. XXIX.

Solvitur, et causa hujus silentii redditur.

Verum ignorare non possunt Adversarii argumentum hoc mere negativum omni vi carere, eo quod illi opponatur argumentum positivum tot aliorum Patrum, qui in florentissimis Ecclesiis Romana, Africana, Gallicana, Hispana, atque Orientali hunc versiculum allegarunt, eoque ad Trinitatis dogma confirmandum usi sunt. Cur autem alii omiserint, non una potest esse causa; sed illa praecipua, quod vitiatos codices prae manibus habuerint; et quod nollent cum cavillosis adversariis novas, et importunas lites sine causa suscitare.

§. XXX.

Cur S. Augustinus vers. VIII. et non VII. allegaverit?

An S. Augustinus hunc versiculum agnoverit, definire non audeo; ex quo tamen VIII. versiculum mystice de Trinitate intellectum contra Maximinum protulerit, non sequitur, ab eo fuisse versiculum VII. ignoratum. Ipsius enim scopus omnino exigebat, ut de versiculo VIII. loqueretur, non de VII.: nempe principii loco statuerat S. Augustinus, nul-

libi in S. Litteris de diversis substantiis dictum esse, quod unum sint; unde inferebat, ea Christi verba: *Ego, et Pater unum sumus*, unitatem essentiae significare: opponebat autem Maximinus Arianus versum VIII. S. Joannis, ubi de spiritu, sanguine, et aqua dicitur *unum sunt*: ut igitur S. Augustinus hanc difficultatem solveret, eum versiculum mystice de Trinitate interpretatus est (*).

CAPUT IV.

Distinctio trium Personarum ex antiqua SS. PP. traditione ostenditur.

§. XXXI.

Primo ex eo, quod hostes Trinit. ab Ecclesia damnati fuerunt.

Antiquam in Ecclesia hujus dogmatis viguisse traditionem, vel ex eo solo luculenter apparet, quod Noethus, Praxeas, Sabellius, aliique Trinitatis hostes omnibus fidelibus execrationi fuerunt, et ab Ecclesia ejecti; nam contra Praxeam Trinitatem Personarum vindicavit Tertullianus, qui etiam scribit eum ad palinodiam coactum fuisse, licet postea excussa fronte ad insaniam redierit. Noethum impugnavit S. Hyppolitus Episc. et Martyr in eo libro, vel Homil. „ quae inscribitur *de Deo uno, et trino, ac de incarnatione*, ubi etiam narrat, Noethum contumacem fuisse ab Ecclesia ejectum. Demum quando majori licentia Sabellius eandem haeresim renovavit, S. Dionysius Alexand., et alter Dionysius R. P. contra eam fortissime pugnarunt. Eadem Trinitatis fides in duobus Conciliis Antiochenis contra Paulum Samosatenum annis 264., et 269. vindicata, et confirmata est. Quae monumenta abunde sufficiunt ad veterem traditionem hac in parte ostendendam.

(*) De tota hac quaestione praeter Scholasticos consuli possunt Lud. Rogerius *in Dissert. critica theolog.* de hoc versu Parisiis 1723. edita, P. Joan. Franc. Bern. de Rubeis *Dissert. de tribus in coelo testibus*, P. Maran. *J. C. Divinit.* P. 2. cap. 19., Scipio Maffejus *in Dissert. de Cassidori complex.*, et alii.

§. XXXII.

Praestat tamen nonnulla SS. Patrum testimonia in medium afferre. Omnium agmen ducit Sec. I. S. Clemens Romanus, cujus luculentissimam Trinitatis confessionem nobis conservavit S. Basilius in Lib. *de Spiritu Sancto* cap. 29. inquiens: *Sed et antiquior Clemens, Vivit*, inquit, *Deus, et Dominus Noster J. C., et Spiritus Sanctus.* Secundo ex PP. I. sec.

§. XXXIII.

Ex Sec. II. praesto est S. Justinus, qui in *Apol.* 1. Atheismi calumniam a Christianis ex eo maxime repellit, quod plane tres Divinas Personas adorent. Athenagoras etiam Justino fere coaevus in sua *Legatione pro Christianis* eamdem Atheismi calumniam repellens, *Quis igitur*, inquit, *non miretur, cum Atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum, et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum in unione potentiam, et in ordine distinctionem demonstrant?* Ac demum eodem seculo S. Irenaeus Lib. 4. cap. 14. *Et propter hoc*, inquit, *in omnibus, et per omnia unus Deus Pater, et unum Verbum, et unus Filius, et unus Spiritus, et una fides, et salus omnibus credentibus in eum.* Ex PP. sec. II.

§. XXXIV.

Ex Sec. III. praeter duos Dionysios, et duas Synodos Antiochenas supra laud., Tertullianus adv. Praxeam cap. 13., *Et pater Deus*, inquit, *et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unusquisque.* Et S. Cyprian. *de unit. Eccl. De Patre*, inquit, *et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est, et hi tres unum sunt.* Denique ne longum faciam, S. Augustinus Lib. 1. *de Trinit.* cap. 4. *Omnes*, inquit, *quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum veterum, ac novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unius, ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus.* Ex PP. sec III.

§. XXXV.

Objectio ex silentio vet. Ethnicorum.

Contra hanc vetustissimam traditionem illud primo objiciunt Unitarii, quod veteres Religionis nostrae hostes Christianis objecerint atheismum, cum potius polytheismum objicere debuissent, si tres divinas Personas coluissent. Ulterius, Philosophi pagani ut Porphyrius, Celsus, atque Julianus, qui ex veteri Philosophia multas difficultates contra Religionem nostram movebant, certe mysterium Trinitatis cavillis impetere non praetermisissent, si illud in dogmata Ecclesiae recensitum fuisset. Hoc veterum nostrorum hostium silentium manifeste indicat, Trinitatis dogma in Ecclesia antiqua non viguisse.

§. XXXVI.

Solvitur primo ex disciplina arcani.

Verumtamen non considerant primo viguisse tunc temporis *disciplinam arcani*, qua nedum Sacramenta, sed etiam mysteria nostrae Religionis profanis celabantur, ne eorum derisionibus exponerentur, ut de Trinitate potissimum luculenter ostendit contra Tentzelium Emanuel a Schelestrate in Dissert. *de Disc. arcani* cap. 2. art. 1.; quamvis ubi opus erat, ea confiteri non erubescerent, ut superius de Justino, et Athenagora vidimus.

Secundo, quia Ethnici non sierunt de hoc myst.

Ulterius falsum est, numquam Ethnicos ex Mysterio Trinitatis ansam arripuisse nostros calumniandi, aut irridendi, ut videre est in operibus Origenis contra Celsum, et in Dialogo Luciani, seu alterius Luciano coaevi, qui *Philopatris* inscribitur. Demum hoc argumentum nimis probaret; probaret enim neque tempore Juliani apostatae notum fuisse mysterium Trinitatis, cum tamen ea aetate jam fuerint condemnati Sabelliani in duobus Conciliis Antiochenis, et Ariani in magna Synodo Nicaena. Ethnici autem accusabant Christianos atheismi, quia eorum Deos tamquam inania idola aspernabantur.

§. XXXVII.

Quidam personas non distinxisse videntur.

Objici etiam solent testimonia plurium veterum, qui Filium dixerunt esse Sapientiam Patris in ipso existentem: Patrem λόγῳ seu Verbo numquam caruisse, quia semper rationalis fuit, nec unquam carere posse, nisi rationalis esse desinat; quae omnia

ostendunt ipsos non agnovisse Personarum distinctionem. Ita inter alios Tatianus in *Orat. contra Graecos*, Athenagoras in *Legat.* et Theophilus Antiochenus Lib. 2. ad Autolicum.

§. XXXVIII.

Sed facile respondetur; ita nonnullos veteres fuisse locutos, ut significantius exprimerent unitatem essentiae in tribus Personis, non autem quasi Filium dicerent esse Dei sapientiam, quae concipitur tamquam merum attributum. Porro easdem phrases quandoque adhibuerunt etiam Patres haeresi Sabelliana posteriores, de quorum fide nulla potest esse suspicio. Unum laudare sufficiat S. Augustinum, qui in Lib. *de Fide, et Symbolo* de Filio loquens: *Neque ex tempore genitus*, inquit, *quia sempiternus Deus sapiens, sempiternam habet secum sapientiam suam.*

Sed eorum mens explicatur.

§. XXXIX.

Neque etiam movere nos debet, quod S. Gregorius Thaumaturgus *Patrem, et Filium mentis quidem cogitatione duo esse, sed hypostasi unum*, dixit in *Dial. cum Æliano*. Nam S. Basilius Epist. 210. hoc a S. Gregorio dictum esse testatur non docendi, sed decertandi causa. Addit multa in eo dialogo esse librariorum errata. Ac demum nonnulla reprobat, ut minus accurate dicta, quia S. Gregorius aliquid indoli sui adversarii gentilis concedendum putavit, ne iis, quae magis necessaria erant, repugnaret.

Quid de S. Gregorio Neocaesar. dicendum.

CAPUT V.

De unitate numerica trium Personarum.

§. XL.

Solemne est Unitariis nobis obiicere, quod admittendo tres Personas divinas tres effingamus Deos: quapropter contra eos breviter ostendendum est, unam numero esse in tribus divinis Personis essentiam. Fatemur quidem hoc essentiae *numeralis* vocabulum esse a Scholasticis inventum, res tamen

Refellitur Unitar. calumnia de tribus diis.

ipsa, et ex Scripturis, et ex veteri Ecclesiae traditione luculenter eruitur. Ex Scripturis unus sufficere posset S. Joannis locus, cujus αὐθεντίαν supra

Unitas numeralis ex vers. 7. 1. Jo. V.

cap. 3. vindicavimus; de Patre enim, Filio, et Spiritu Sancto aperte asseritur, *et hi tres unum sunt*. Neque obest, quod in versiculo sequenti dicatur: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt*; ubi tamen nonnisi unitas moralis in testificando exprimitur. Non inquam id obest, nam primo graecus textus habet: Καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, *hi tres in unum sunt*: quod etiam in multis codicibus legitur. Deinde Clemens Alex. Cassiodorus, et Ambrosius ita legerunt: *Et hi tres unum sunt in Christo Jesu*. Demum haec clausula octavi versiculi in multis codicibus desideratur; unde aliqui suspicati sunt haec verba fuisse ab Arianis adjecta, quamquam haec suspicio parum verisimilis est (*).

§. XLI.

Et ex aliis locis.

Sed praeterea multa sunt alia testimonia, quibus una numero essentia in divinis Personis clare exprimitur, ut cum Filius dicit Joan. XVI. 15. *Omnia quaecunque habet Pater mea sunt; propterea dixi quia* (Spiritus sanctus) *de meo accipiet*; ubi se eandem numero essentiam cum Patre, et Spiritu sancto habere ostendit. Huc etiam pertinent ea loca, in quibus Christus testatur *se esse in Patre, et Patrem in se*; et *qui videt Filium videre et Patrem*. Jo. X. 38. et XIV. ✓. 10.

§. XLII.

Tum ex SS. PP.

Longum nimis esset dicere de Patribus qui unam numero essentiam in Trinitate confessi sunt. Paucis contenti erimus. S. Justinus postquam in apol. 1,

---

(*) Innocentius III. *de celebr. Missar.* et post ipsum S. Thomas in comment. Decr. de *summa Trin.* putarunt haec verba fuisse addita ab Abb. Joachimo, ut, quae in versu septimo leguntur, ad unitatem consensus, et caritatis traheret. Verumtamen illa clausula, et a veteribus Patribus saepius commemorata fuit, et in multis probatis codicibus invenitur; quamquam in nostro codice Parisiensi, cujus supra §. XVII. meminimus, obelo confixa est.

Verbum a Patre generari dixisset, *sicut ignem ab igne*, ne aliquis inde suspicaretur eum voluisse in Patre, et Verbo duplicem numero naturam distinguere, ut in duobus ignibus distincta est, subdit: *Verbum a Patre abscindi aut separari non posse, quemadmodum lux Solis in terra abscindi, et separari nequit a Sole, qui est in coelo.* Hinc Ecclesiae Doctores, qui Trinitatem Personarum contra Unitarios asserebant, caute simul providebant, ne multiplicatis Personis, etiam natura, et essentia Dei multiplicaretur; *cum tres illae Personae*, ajebat S. Bernardus Lib. 5. *de Consider.* cap. 1. *illa substantia sint, et illa una substantia tres personae, quis numerum neget? nam vere tres sunt. Quis numeret tamen? nam vere unum sunt.*

§. XLIII.

Atque ex ratione S. August.

Sed et illud addendum, quod si tres essent numero distinctae essentiae, sequeretur eas simul sumptas aliquid majus esse, quam una earum, quod tamen negabat magnus Augustinus Lib. VIII. *de Trinitate* cap. ult. inquiens: *Non enim major essentia est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus simul, quam solus Pater, aut solus Filius, sed tres simul illae substantiae, sive Personae, si ita dicendae sunt, aequales sunt singulis, quod animalis homo non percipit.* Denique et hoc satis expresse definitum videtur in magna Synodo Lateranen. Cap. II. ubi credendum, et profitendum proponitur, *quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem, et ineffabilis: quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.*

Demum ex syn. Lateran.

§. XLIV.

Aliquod in verbis discrimen notandum.

Aliqua inter veteres Patres invenitur quidem differentia in modo loquendi, cum tamen in dogmate summa esset consensio. Observat enim S. Augustinus Lib. 7. *de Trinitate* Cap. 4. a Graecis fuisse appellatas *tres substantias*, a Latinis autem *tres personas*. Hinc etiam ortum est celebre illud dissidium Antiochenum saec. IV.: Paulinus enim cum Occidentalibus tres divinas hypostases dicere reformidabat, ne tres divinae essentiae inducerentur. Meletius contra cum Orientalibus tres in Deo hypostases prae-

dicandas esse volebat, ne distinctio Trinitatis tolleretur. *Res prorsus ridicula*, inquit Sanctus Gregorius Nazianzen. Orat. 21. *et miseranda erat: diversae fidei speciem praebuit levis, et jejuna de vocum sono altercatio*; quam demum logomachiam S. Athanasius in Synodo Alex. sustulit, et communi omnium consensu una in Deo agnita est *natura*, seu οὐσία, et tres *hypostases* seu *personae*. Immo nonnunquam Latini tres in Deo esse *substantias* dixerunt, nomine tamen *substantiae* non intelligebant essentiam, sed personam. Et contra haeresim Sabellianam hactenus, quam non immerito S. Basilius epist. 210. *Judaismum* appellabat. Nunc de Ariana, quae tres personas distinguens videri potest Sabellianae opposita; cum tamen nonnisi unam ex his verum Deum esse contenderet, reliquas vero duas in creaturarnm ordinem redigeret, in eandem Sabellianorum impietatem relabebatur.

CAPUT VI.

De Christi Divinitate ex sacris Litteris.

§. XLV.

Cur separatim agendum sit de Divinitate Filii, et Spiritus S.

Quamquam demonstrata superius trium Personarum distinctione, earumdemque individua unitate, sponte sua fluit, et Filium, et Spiritum sanctum esse Patri consubstantiales; quia tamen praeter haereticos Sabellianos alii fuerunt, qui Filii, et alii, qui Spiritus sancti veram Divinitatem pervicaciter infitiati sunt, operae pretium erit de utraque Divina Persona, peculiariter agere; praecipue cum dogma hoc sit in Religione nostra capitale.

§. XLVI.

Arius Christi divinit. impugnat.

Arius seculo IV. ineunte Christi Divinitatem impugnare aperte aggressus est, quem tamen antea praecesserant Ebionitae, Artemonitae, aliique veteres Alogi ab Ecclesia saepius proscripti. Ario statim sese opposuit Alexander Episcopus Alex. qui coacta ex Lybia et Ægypto 100. et amplius Episcoporum Synodo haeresim vix natam condemnavit, et Arium in errore pertinacem ab Ecclesia expulit. Sed cum Arii

fautores turbas excitare non desisterent, anno 325. celebratum est OEcumenicum concilium Nicaenum, in quo post auditum Arium, et rem quam diligentissime discussam fidei formula condita fuit, in qua Jesus Christus dictus est *Filius Dei unigenitus, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus, non factus, et Patri consubstantialis.* Notum porro ex historia ecclesiastica est, quantum Ariana lues, non obstante hac Nicaenae fidei definitione toto fere seculo IV. grassata fuerit; et quomodo seculo XVI. magno Ecclesiae detrimento fuerit a Socinianis ab orco revocata. Nec ignorare possumus, quas etiam hoc infelici nostro aevo strages ubique edat. (*) Quamobrem in ea impugnanda omnem operam adhibere debemus.

Condemnatur in concilio Nicaeno.

§. XLVII.

Porro si accurate, et cum omni praecisione res ista pertractari deberet, quaestio de Filii, seu Verbi Divinitate ab alia secernenda esset, quae de Christi Divinitate instituitur. Nestorius enim de mysterio Trinitatis orthodoxe sentiens Personam Christi humanam esse blasphemabat. Quia tamen utriusque controversiae magna est affinitas, utramque simul conjungemus: et ne infinita propemodum Scripturae sacrae textuum seges confusionem pariat, eos ad quinque suprema fastigia una cum S. Hilario Lib. 7. *de Trinit.* revocabimus, ubi inquit: ***Deum Dominum nostrum J. C. his modis novimus, nomine, nativitate, natura, potestate, et professione;*** ex quibus omnibus eo efficacius erit argumentum pro vera Christi Divinitate asserenda, quo minus verisimile est, omnes hos verae Divinitatis characteres fuisse Christo improprie tributos.

Quaestio de Verbi divinit. ac de Christi divinit. conjungitur.

(*) Praeter Socinianos, ut ita dicam, dogmaticos, alia modo serpit pestilentissima secta Socinianorum, quos Scepticos appellare possumus; qui scilicet veram Christi Divinitatem omnino negare non audent, de ea tamen ambigere se profitentur, contendentes Christum esse Filium Dei, et Deum; an autem talis sit natura sua, an vero gratia tantum et adoptione, impune controverti posse. Ita potissimum Arminiani, quorum numerum quotidie augeri non sine magno animi dolore audimus.

§. XLVIII.

Christi divinit. prob. ex nomine Dei.

Prob. itaque primo ex *nomine Dei*, quo saepissime in sac. Litt., et Verbum, et Christum appellatum reperimus. S. Joannes Evang. ita exorsus est suum Evangelium: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*). Cap. autem XX. 28. refert verba Thomae Apost. qui contrectatis Jesu redivivi cicatricibus exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus*. Idem Evangelista in sua I. Epist. III. 46. *Scimus*, inquit, *quoniam Filius Dei venit . . . hic est verus Deus et vita aeterna*. Et multis aliis omissis S. Paulus Rom. IX. 5., de Christo inquit: *Qui est super omnia Deus benedictus in secula.*

(*) Harduinus non minus absurde, quam impie ita hunc locum interpretatus est. *Erat Verbum, non Filius, stylo quidem sacrarum scripturarum; quamquam in scriptis Patrum, et in scholis etiam Filius. Aliud esse Verbum, aliud esse Filium Dei intelligi voluit Evangelista Joannes: Verbum est secunda sanctissimae Trinitatis persona; Filius Dei ipsa per se quidem, sed tamen ut eidem Verbo hypostatice unita Christi humanitas. Quamobrem in hoc Joan. Evang. Verbum appellatur usque ad incarnationem, postquam autem caro factum est, non jam Verbum, sed Unigenitus, et Filius Dei est.* Quod paradoxum commentum saepius repetit in aliis locis, nullo modo veritus contra scholas non solum, sed etiam contra sanctos Patres aperta fronte pugnare. Sed quoniam ad scripturas provocat, attendisse non videtur ad ea, quae idem S. Joannes I. Epist. I. 2., de Verbo vitae habet, scilicet fuisse apud *Patrem*, et postea nobis apparuisse; unde fit, Deum fuisse *Patrem*, etiam ante incarnationem Verbi, adeoque illud ejusdem Evangelistae *Verbum erat apud Deum* idem significare, ac *apud Patrem*. Apposite ad hanc, aliasque similes difficultates S. Thomas I. P. q. 34. art. 2. ad 3. *Nativitas Filii*, inquit, *quae est proprietas personalis ejus, diversis nominibus significatur, quae Filio attribuuntur ad exprimendum diversimode perfectiones ejus. Nam ut ostendatur coaeternus, dicitur splendor, ut ostendatur omnino similis, dicitur imago, ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum.* Sed contra hoc et alia Harduini, ejusque discipuli Berruyer absurda commenta, quibus mysterium Trinitatis labefactare conati sunt, digna est, quae legatur Instructio Past. Franc. Fitzjames P. 2. Legi etiam potest P. Bern. de Rubeis in *Dissert. varia erudit.* Cap. 5.

§. XLIX.

Vox Deus in allegato S. Pauli textu non est irreptitia.

Quae contra allata testimonia Sociniani afferunt, adeo levia sunt, ut nec refelli mereantur. Unum dumtaxat est accuratius expendendum circa postrema S. Pauli verba, in quibus vocem *Deus* irreptitiam esse contendunt, quia Cyprianus, Hilarius, et Chrysostomus hunc textum allegantes eam omittunt; unde etiam Erasmus, et Grotius eam intrusam esse suspicati sunt. Secundo quia deest in versione Syriaca. Demum quia S. Paulus nuspiam alibi Christum solet appellare Deum. Verum mirari subit, viros alias non indoctos ita in re omnium gravissima nugari; textum enim S. Cypriani vitiatum fuisse constat ex melioris notae MSS., propter quorum auctoritatem Manutius, Morellus, aliique in suis editionibus vocem *Deus* restituerunt. Sed quidquid sit, textum Paulianum prout in nostra vulgata legitur, allegarunt Irenaeus Lib. 3. cap. 18., Tertullianus *contra Praxeam*, aliique passim veteres Patres. Falsum est etiam eam vocem in Syriaca versione desiderari, ut videre est in Polyglottis Walthoni. Qui demum negant Christum a Paulo vocari Deum consuevisse, ea non legerunt, quae ad Titum scribit II. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*; quod iterum repetit cap. seq. v. 4.

§. L.

Prob. secundo div. J. C. ex nativitate.

Probatur secundo Divinitas Jesu Christi *ex nativitate*, propter quam saepius vocatur, verus Dei filius, ut Joann. I. 34. Matth. III. 17. et alibi saepe. Immo S. Joannes I. 18. eum plane appellat *Unigenitum, qui est in sinu Patris*. Ac demum cap. XX. ita concludit: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis aeternam*; declarans, ut S. Hilarius observat, se totum Evangelium eo fine scripsisse, ut ostenderet Christum esse Filium Dei; et quidem natura, non adoptionis gratia, quia ad hoc satis fuisset, eum appellare Christum.

§. LI.

Socinianorum effugia.

Sed hic acriter instant Sociniani contendentes Christum non fuisse appellatum Filium Dei, nisi his

de causis: primo ratione prodigiosae suae conceptionis sine virili commercio; unde ait Angelus Mariae, Lucae I. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Secundo ratione suae sanctificationis et missionis; quare Christus ipse Joann. X. 36. inquiebat: *quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Tertio, quia fuit a Deo Patre resuscitatus a mortuis, quod testatur Paulus Actor. XIII.33. inquiens: *Resuscitans Jesum, sicut et in Ps. II. scriptum est: Filius meus es tu.* Demum propter plenitudinem potestatis illi quasi hereditario jure collatam. Hebr. I. 2. *Locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum.*

§. LII.

Praecluduntur duo priora. Hae tamen omnes causae allegatae non pugnant, sed apprime consentiunt cum vera et consubstantiali Christi Divinitate; nam quantum ad primam, non ideo solum Christus vocatus est Filius Dei, quia hominem Patrem non habeat, alias potiori jure Adam dicendus fuisset Filius Dei; sed quia Spiritus Sancti operante virtute Verbum Divinum in utero Virginis carnem assumpsit humanam, et propter personam divinam Christus erat vere Filius Dei. Sanctificatio autem, de qua loquitur Christus Joann. X. non est accidentalis, ut in justis, sed essentialis; unde etiam non dixit: quem *Deus sanctificavit*, sed quem *Pater sanctificavit*, ut ostenderet, se non ratione sanctificationis habere Deum Patrem, sed quia habebat Deum Patrem, se esse sanctificatum; ac propterea Judaeos urgens subdebat: *Ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.*

§. LIII.

Et etiam reliqua. Quae de Christi resurrectione allata sunt ex Act. XIII. ita debent intelligi, ut Christus dicatur suscitatus a mortuis, quia erat Filius Dei; non autem contra dicatur Filius Dei, quia a mortuis resurrexit. Sic etiam plenitudo potestatis Christo data divinae filiationis effectus est, non causa; cum enim

Christus eandem habeat cum Patre essentiam, utpote ejus filius, eandem quoque habere debet potestatem; quod luculenter indicat Apostolus, dicens: *Locutus est nobis in Filio*, etc.

§. LIV.

Qua ratione Christus dictus sit praedestinatus filius Dei?

Dices, quo ergo sensu Apostolus Rom. I. 4. de Christo loquens: *Qui praedestinatus est*, inquit, *Filius Dei in virtute; secundum Spiritum sanctificationis* etc.? Respond. 1. in textu graeco non legi: qui *praedestinatus* est, sed qui *declaratus*; declaratus inquam virtute miraculorum, ac praecipue resurrectione ex mortuis, qua potissimum Christus se esse verum Filium Dei naturalem comprobavit. Secundo, retenta lectione nostrae Vulgatae hanc praedestinationem referendam esse ad Christi humanitatem, quae per unionem hypostaticam cum Verbo divino evehenda erat ad naturalem Dei filiationem: quae interpretatio congruit verbis praecedentibus Apostoli de Christo dicentis: *qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei etc.*

§. LV.

J. C. divinitas prob. ex naturae ident. cum Patre.

Constat 3. vera Christi Divinitas ex natura, quam eamdem sibi esse cum Patre Christus ipse apertissime testatus est Jo. X. 30. inquiens: *Ego, et Pater unum sumus*; quibus verbis, ut Sanctus Augustinus observat serm. 56. *de verbis Domini*, nihil expressius desiderari potest tum contra Sabellianos, quam contra Arianos. *Quod ait*, unum, *audiant Ariani: quod ait*, sumus, *audiant Sabelliani; et nec illi aequalem, nec isti alterum negando sint vani.* Rursus Jo. XIV. 9. *Qui videt me*, inquit Christus, *videt et Patrem . . . quia ego in Patre, et Pater in me est*; et iterum XVI. 15. *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt.* Vid. etiam quae supra diximus cap. praec.

§. LVI.

Sociniani unitatem naturae excludunt.

Hujus argumenti vim frustra eludere conantur Sociniani ea Christi oratione Jo. XVII. 11. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicuti et nos*; et iterum v. 21. *Ut*

omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: unde colligunt, Christum esse unum cum Patre: sicuti fideles non essentia, sed caritate, et consensione.

§. LVII.

Sed refutantur.

Hanc difficultatem jam praeoccupaverat S. Augustinus Tract. 110. *in Jo.* acute observans, ex verbis ipsis Christi apparere, aliam esse ipsius unitatem cum Patre, aliam fidelium; neque enim Christus oravit, *ut omnes unum simus*, quod faciendum illi erat, si de eadem unitate loqueretur, *sed ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te*; scilicet eam omnium fidelium unitatem optavit, quae maxima haberi potest; non quae inter ipsum, et Patrem intercedit; eodem plane sensu, quo Matth. V. ult. hortabatur discipulos: *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est.* Et sane, si de unitate tantum morali locutus esset Christus, Judaei lapides non sustulissent, ut ipsum lapidarent tamquam blasphemum.

§. LVIII.

Prob. J. C. divin. ex potestate.

4. Probatio Divinitatis J. C. desumitur ex potestate, quam sibi aequalem, immo eandem esse cum Patre Christus testatus est Joan. V. 15. inquiens: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*; quibus verbis eandem significari potestatem cum Patre intellexerunt vel ipsi Judaei; unde interficere eum volebant, quia aequalem se Patri faciebat: nec tamen propterea Christus sua verba revocavit, aut emollivit, sed potius magis confirmavit addens: *Quaecunque ille fecerit, haec et Filius similiter facit*; ac demum concludit: *ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.*

§. LIX.

Socinianorum cavillatio exploditur.

At vero cavillantur Sociniani; si Christus eandem cum Patre potestatem habebat, cur inquit de se ipso Joan. V. 19. *Non potest Filius a se facere quidquam*; et iterum v. 30. *Non possum ego a me ipso facere quidquam?* et Matth. XX. 23. negat sibi liberum esse locum sedendi in regno suo dare. Attamen tan-

tum abest, ut ex Christi verbis allatis Joan. V. restricta intelligatur ejus potestas, quin potius eodem ipso in loco Christus declaravit, se eandem cum Patre potestatem habere, inquiens: *Quaecunque ille fecerit, haec et Filius similiter facit.* Immo ipsi Judaei omnipotentiam divinam sibi Christum tribuere plane intellexerunt, ut jam observavimus. Alia autem verba ex Matt. XX. ita explicat S. August. I. *de Trinit.* cap. 12. Non est meum dare, id est, non humana potestate ista do, sed divina a Patre communicata, quia omnia, quae habet Pater, mea sunt.

§. LX.

Prob. demum J. C. divinitas ex professione.

Postrema Divinitatis Christi probatio desumitur ex *professione.* Et quidem nihil solemnius ea fidei professione, qua ex Christi praecepto baptizamur *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ulterius, Jo. III. 36. Christus de seipso dicit: *Qui credit in Filium habet vitam aeternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*; et initio Cap. XIV. nobis mandat, ut in eum credamus, non minus ac in Patrem; *Creditis in Deum, et in me credite.*

Coroll. Cum veritas ista fundamentum Religionis Christianae contineat, mirum non est, si tot, ac tam variis modis ac testimoniis Deus eam manifestare et comprobare voluerit. Mirandum potius est, eam ab obcaecatis Judaeis, et Socinianis non perspicue videri; sed orandus est ipse Dominus Salvator noster, ut oculos eorum aperiat, et *credant, quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeant in nomine ejus.* Joan. XX. 31.

CAPUT VII.

Solvuntur praecipuae difficultates contra Divinitatem J. C. ex Scriptura depromptae.

§. LXI.

Quo sensu Christus dicatur minor Patre?

Sociniani urgere potissimum solent illud Joan. XIV. 28. ubi Christus Dominus fatetur se esse minorem Patre; inquit enim: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est*; observat autem Crellius, nullam fuisse discipulis rationem gaudendi de Christi discessu ad Patrem; si Deus fuisset Patri consubstantialis; nulla enim ipsi fieri poterat per hoc felicitatis accessio. Verum S. Augustinus, et communiter fere latini Doctores post ipsum haec Christi verba referunt ad ejus humanitatem, quae certe erat Patri inferior; cui tamen in natura divina erat aequalis; immo omnino idem; unde alibi dicebat: *Ego, et Pater unum sumus; ego in Patre, et Pater in me est*. Gratulandum itaque erat discipulis, quod Christi humanitas ascendens ad Patrem promeritam sibi gloriam adipisceretur in coelis; et quemadmodum loquitur Augustinus Tract. 78. *in Joan. Ut immortalis constitueretur in caelis, utque ita fieret terra sublimis, et incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris*. Nonnulli tamen Graeci haec verba etiam ad Christi personam putant posse referri, quae minor dicitur persona Patris sensu quodam improprio, nempe ratione originis, quam Filius habet a Patre.

§. LXII.

Quomodo Christus ignoraverit diem judicii.

Alia aliquanto implexior difficultas repetitur ex iis verbis Matth. XXIV. 36. *De die illa, et hora* (extremi Judicii) *nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi solus Pater*; ignorantia autem in Deum non cadit. Haec tamen difficultas communiter a SS. Patribus expeditur dicendo, Christum ignorasse diem judicii duntaxat ad revelandum, non autem absolute; quomodo enim aliquid ignorare poterat Christus Dominus, Verbum, et Sapientia Patris, et *in quo*, teste Apostolo Coloss. II. 3. *sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi?*

§. LXIII.

Discrimen inter Patrem et Filium.

At vero acrius insurgunt Sociniani observantes nec Patrem voluisse revelare diem Judicii, et tamen eum scire dicitur; unde colligunt, Christum absolute cum ignorasse. Diversa tamen est ratio Patris, ac Filii; quia Pater aliquid manifestandi hominibus munere non fungebatur; unde nullo modo dici poterat aliquid ignorare, quia revelare nolebat; Christus autem ea nobis manifestare debebat, quae ad nostram salutem pertinebant; quapropter ea aliquo sensu ignorare dici poterat, quae nota facere nolebat.

§. LXIV.

Script. loca, quae Christi divinitati opponuntur.

Plurima deinde colligunt Sociniani Christo in sacris Litteris tributa, quae vero Deo tribui non possunt. Nam 1. dicitur creatura Proverb. VIII. 21. juxta vers. LXX. *Dominus creavit me initium viarum suarum*, et Joan. I. 15. Joannes Baptista dicit de Christo: *Qui post me venturus est, ante me factus est*, et Coloss. I. 15. idem Christus vocatur *imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae*. Praeterea fatetur Christus, doctrinam, quam tradebat, non esse suam, sed Patris, Joan. VII. 16. et XIV. 10. *Verba*, inquit, *quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor*; quod utrumque indicat, illum fuisse legatum Dei, non Deum. 3. Fatetur se habere voluntatem distinctam a Patre, eique subditam Joan. VI. 38. ubi etiam se a Patre missum dicit; quae missio et Patrem, qui mittit, majorem esse ostendit, et Filium, qui mittitur, minorem. Demum Joann. X. 18. se a Patre accepisse mandatum moriendi aperte fatetur.

§. LXV.

Verbum non est creatum.

Haec tamen omnia cum vera Christi Divinitate conciliari baud difficulter possunt, si recte expliceutur. Et quantum ad 1. testibus Eusebio Caesar. Lib. 3. *de Eccles. Hier.* c. 11. S. Hieronymo Epist. CLX. *ad Cyprianum*, aliisque hebraicae linguae peritissimis, nostra Vulgata, quae habet: *Dominus possedit me*, magis consentit Hebraico fonti, quam versio LXX. viralis *Dominus creavit me*. Possidere autem in sacris Litteris significat gignere, ut Eva

Genes. IV. quando peperit Cain dixit: *Possedi hominem per Deum.* (*) Verba autem S. Joannis Baptistae Joan. I. hunc habent sensum: Jesus Christus, qui post me venit in humanitate, mihi praelatus est in dignitate. Denique Coloss. I. appellatur Christus *primogenitus omnis creaturae*, non quia ipse creatus sit, sed quia ante omnes creaturas ab aeterno genitus fuit; quo sensu etiam aeterna Sapientia dicit de seipsa Ecclesiastici XXIV. 5. *Ego ex ore Altissimi providi, primogenita ante omnem creaturam.*

§. LXVI.

Doctrina Christi erat ipsius, et Patris.

Quod autem Christus dicit, doctrinam, quam spargebat, non esse suam, aut a seipso non loqui, interprete Sancto Augustino I. *de Trinit.* 12. intelligendum est de Christo ut homine, non ut Deo; nam ut Deus dicebat: *Omnia, quae habet Pater, mea sunt, et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Jo. XVI. 15. et XVII. 10.

§. LXVII.

Duplex in Christo voluntas.

Ad 3. et 4. facilis est responsio, si duplicem in Christo distinguamus voluntatem, divinam, et humanam. Prima non erat distincta a voluntate Patris, bene autem secunda, quae tamen erat voluntati Patris omnino subjecta; atque illi mandatum moriendi impositum fuit. Missio autem in Divinis non significat subjectionem, aut inferioritatem, sed ordinem tantum processionis.

§. LXVIII.

Explicantur Verba Christi Jo. XX. 17.

Atque hac fere ratione multa alia explicari possunt, quae a cavillosis Socinianis objiciuntur; ut illud Joann. XX. 17. *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum*; ubi acute, et solide observat S. Augustinus: *Non ait Patrem nostrum: aliter ergo meum, ali-*

(*) Aliqui etiem suspicantur, mendum in vers. LXX. irrepsisse et loco ἔκτησε *possedit*, fuisse scriptum ἔκτισε *creavit.* P. Houbigant hebraicum textum יהוה קנני ראשית דרכו ita vertit: *Dominus constituit me initium viarum suarum.*

ter vestrum; natura meum, gratia vestrum Neque dixit Deum nostrum: ergo et hic aliter meum, aliter vestrum: Deum meum, sub quo et ego homo sum; Deum vestrum, inter quos et ipsum mediator sum.

§. LXIX.

Unus restat Apostoli Pauli locus explicatu difficilis I. *Corinth.* XV. 24. et sequ. ubi 1. de Christo dicit: *Cum tradiderit regnum Deo, et Patri*, ex quo fit Christum non regnaturum in aeternum, adeoque nec esse Deum. Deinde v. 28. subdit: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Locus Pauli difficilis.

§. LXX.

Prima Apostoli verba certe non significant Christum esse regno exspoliandum, de quo dicitur Lucae I. 33. *Regni ejus non erit finis*, et Apocal. XI. 15. *Regnabit in secula seculorum.* Quod ergo Apostolus inquit: *Cum tradiderit regnum*, intelligendum est de fidelibus, quos Christus proprio Sanguine acquisivit, quos ita Patri tradet, ut sibi non adimat. Quod autem subdit Apostolus: *Cum subjecta fuerint* etc. intelligitur de Corpore Christi, quod est Ecclesia, quae aliqua ratione modo non est tota subjecta Christo, et Deo, quia tota nondum congregata est; cum autem in fine tota erit Christo capiti subjecta, tunc subjicietur et Deo Patri. Vid. Estius in hunc locum. Postrema verba Apostoli, *Ut sit Deus omnia in omnibus*, non ita ad Patrem restringenda sunt, ut Filius excludatur, aut Spiritus Sanctus, sed per Deum tota Trinitas designatur; nam etiam de Filio non dissimiliter dicit Apostolus Coloss. III. 11. *Omnia, et in omnibus Christus.* Explicatur.

CAPUT VIII.

Divinitas D. N. J. C. ex veteri primorum seculorum traditione generalibus argumentis ostenditur (*).

§. LXXI.

Argum. trad. Div. J. C. ex communi Fidelium persuasione.

Id constat 1., quia statim ac prodiit blasphema Arii doctrina, omnium animos sua novitate offendit; unde impius Dogmatistes tanquam novator, et haereticus una cum paucis ejus asseclis *communi omnium suffragio ab Ecclesia, quae Christi divinitatem adorat, ejectus est*, ut refert S. Alexander apud Theodoretum Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 4. Haec communis execratio Arianae impietatis liquido ostendit, dogma Divinitatis J. C. ex veteri traditione fidelium cordibus insitum fuisse.

§. LXXII.

Ex Arii damnat. omnium consensu facta.

Praeterea cum turbulentus homo non resipisceret, immo erroris sui venenum latius disseminaret, anno 325. generale concilium Nicaeae in Bithynia congregatum est. Porro ex 318. Patribus, qui ex omnibus mundi partibus convenerant, quampaucissimi inventi sunt (id est 4., vel 5.) qui Ario occulte patrocinarentur; ceteri omnes *Arii impietatem, atque amentiam, et verba blasphemiae plena ne audire*

(*) Mirandum non est, veteres, novosque Arianos hanc traditionem negasse, qui etiam Nicaenos Patres *novae fidei conditores* appellabant. Sed dolendum vehementer est, nonnullos Trinitatis defensores imprudenter Adversariis concessisse non paucos veteres Patres, quos propter aliquas ambiguas et obscuras voces Arianismi accusare non verentur. Ita Petavius Lib. I. *de Trinit.* cap. 3. et seq., et Daniel Huetius *in Origenianis* Lib. 2. cap. 2. qu. 2.; quamquam Petavius, quod ei imprudenter exciderat, demitigare conatus est in praefat. ad lib. 2. *de Trinit.*, ita tamen, ut viris sapientibus non satisfecerit. Nihil dicam de Petro Jurio, cujus temeritatem et impudentiam Bossuetus castigavit in VI. *Avertissement aux Protestans*, et Baelius false irrisit in suo libro: *Janua reserata cunctis Religionibus a celebri admodum viro Petro Jurio.*

quidem patienter sustinuerunt, ut refertur *in Epist. Synod.* apud Socratem Lib. 1. cap. 9.

§. LXXIII.

Ex Sabellianorum haeresi eadem traditio confirmatur.

Aliud antiquae Traditionis argumentum suppeditat damnatio haeresis Sabellianae sec. III.; non minus enim Sabelliani, quam Catholici consentiebant, Christum esse Deum; sed totus gravissimae illius controversiae cardo in eo erat, an sicut una in Deo est essentia, ita una tantum sit etiam persona, quod Sabelliani affirmabant, asserentes, hanc unicam divinam personam assumsisse carnem humanam; unde et *Patripassiani* dicti sunt; eo quod Patrem non minus, quam Filium, (quos solo nomine distinguebant) in carne passum fabularentur.

§. LXXIV.

Ac demum ex objectionibus contra Incarnat.

Aliud non minus efficax veteris in hac re traditionis indicium est, quod Ethnici, Judaei, et Haeretici, ad mysterium Incarnationis inficiandum, huic potissimum principio innitebantur, scilicet absurdum, et incredibile esse, a Deo summo assumptam fuisse humanam carnem. *Rem prorsus incredibilem*, inquiebat Trypho apud Justinum *in Dialogo* n. 68., *et quae omnino fieri non possit, demonstrare aggrederis, Deum nasci et hominem fieri, dedignatum non esse.* Similia saepius ab Ethnicis objecta leguntur apud Origenem contra Celsum, Arnobium, et Lactantium. Huic autem difficultati nullus plane locus fuisset, si priorum temporum fideles Christum non adorassent ut verum Deum. Sic etiam Basilides, Saturninus, eorumque magister Menander cum reliquis Docetis, et Phantasiastis non alia de causa veram Christi carnem negarunt, nisi quia impossibile esi videbatur, Divinitatem carni copulari; nostri autem ingenue fatebantur, mysterium Incarnationis nostram intelligendi vim longe superare, credendum tamen propter auctoritatem Dei revelantis: ex quibus omnibus manifestum fit etc.

§. LXXV.

Objectio ex h. de Hegesippi.

Hisce generalibus argumentis, quibus veterem Ecclesiae traditionem de J. C. Divinitate luculentissime demonstravimus, nonnulla pariter generalia argu-

menta objiciunt Sociniani a nobis breviter solvenda. Primo opponunt exemplum Hegesippi sec. II., qui apud Eusebium Lib. 4. *Hist. Eccl.* cap. 22. testatur, *se plurimos Episcopos adiisse; et ab omnibus unam, eandemque audivisse doctrinam*: at vero Hegesippum fuisse ex Ebionitarum secta, qui Christi Divinitatem inficiabantur, aperte insinuat Eusebius loco laudato: tum etiam eruitur ex eo, quod Hegesippus omnes Haereticos recensens apud eumdem Eusebium, nullam Ebionitarum aut Cerinthianorum mentionem facit, non alia certe de causa, nisi quia et ipse cum illis sentiebat. Tempore ergo Hegesippi communis Ecclesiae doctrina erat etc. (*).

§. LXXVI.

Hegesippus erat orthodoxus.

Falluntur tamen, et fallunt Adversarii: Hegesippum enim fuisse orthodoxum saepius scribit Eusebius, qui tamen Ebionitas ut maxime impios execratur Lib. 3. *Hist. Eccl.* cap. 27.: ejus scripta laudantur a Hieronymo *in Catal. Script. Eccl.*, ejusque nomen in fastis Ecclesiae VII. Apr. celebratur. Vocatus est quidem Hegesippus *Judaico-Christianus*, quod ex circumcisione ad fidem Christi conversus fuerit; et fortasse etiam, quod aliquas veteris legis coeremonias servaverit, (hoc enim in primis illis fidelibus ex Judaismo conversis aliqua ratione toleravit Ecclesia) non tamen quasi cum Ebionitis veram Christi Divinitatem inficiaretur. Quod autem nullam Ebionitarum in Catalogo Haereticorum mentionem faciat, non magis probat, illum fuisse ipsorum sectae addictum, quam S. Justinum, qui *in Dial. cum Tryphone* easdem omnino, quas Hegesippus Judaeorum sectas recenset, nulla Ebionitarum, vel Cerinthianorum mentione facta.

§. LXXVII.

Alia objectio ex Plinii epist., quae ta-

Objiciunt praeterea Plinii testimonium, qui in celebri ad Trajanum epistola se nihil aliud mali in Christianis deprehendisse scribit, *nisi quod primo*

(*) Ita Daniel Zwickerus *in Irenico Irenicorum*, et auctor libri, qui inscribitur *Judicium Patrum*, quos pro more suo expilavit Souverainius *in Platonisme devoilé*.

diluculo excitati, *Christo tamquam Deo hymnos canerent*. Mirum est tamen, acutos Socinianos non vidisse, hoc insigni Plinii testimonio nostram sententiam confirmari, non labefactari; illa enim particula *tamquam* non ponitur ibi *diminutive*, sed *explicative*. Quod confirmari potest ex Eusebio, qui Lib. 5. *Hist. Eccl.* cap. 28. affert fragmentum antiqui cujusdam libri, quo Artemonis haeresis confutabatur ex priscis Christianorum hymnis, in quibus *Christum Dei Verbum concelebrabant, Divinitatem ei tribuendo*.

men Christi divinit. potius confirmat.

§. LXXVIII.

Cur preces semper ad Patrem dirigantur.

Neque veteri, et universali Ecclesiae traditioni de Christi Divinitate obest antiqua illa consuetudo, qua preces semper ad Patrem diriguntur: immo in Concilio III. Carthaginensi extat Canon XXIII., quo jubetur, ut semper ad Patrem dirigatur oratio. Non inquam id obest; solum enim per hoc denotatur Patrem esse fontem, ac principium Filii, et Spiritus S.: et Filium esse mediatorem apud Patrem. Ceterum in illa invocatione omnium solemnissima, quae fit in baptismo, distincta, et aequalis habetur trium personarum mentio; et usus postea invaluit, ut eadem Trinitatis invocatio *in nomine Patris* etc. in sacrificiis et precibus saepius adhiberetur (*).

Scholion. S. Fulgentius in Lib. II. ad Monimum cap. 5. *Omnes Catholici*, inquit, *scire debent, omne cujuslibet honorificentiae, et sacrificii salutaris obsequium, et Patri, et Filio, et Spiritui S., hoc est S. Trinitati ab Ecclesia Catholica pariter exhiberi: in cujus utique uno nomine manifestum est sanctum quoque baptisma celebrari. Neque enim praejudicium Filio, vel S. Spiritui comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente di-*

(*) Non est praetereundum, illum canonem concilii III. Africani primo innotuisse ex Isidoriana collectione, atque ab eruditis timeri, ne Isidorus eodem ingenio hic usus sit, ac in multis aliis ecclesiasticis monumentis fingendis, interpolandis, atque adulterandis. Confer Van. Espen dissert. in *Synodos Afric.* §. 6.

rigitur, cujus consummatio, cum Filii, et Spiritus S. complectatur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen.

CAPUT IX.

Eadem Traditio Divinitatis J. C. ostenditur selectis aliquot veterum Patrum testimoniis.

§. LXXIX.

Ex Ignatio et Polycarpo. Primus sese offert S. Ignatius Martyr Apostolorum auditor, qui in suis genuinis epistolis Jesum Christum saepius nominat *Deum*, et quidem *omnipotentem, et quem nihil latet* (ad Ephes. n. 13.); aeternum, *qui ante secula apud Patrem erat* (ad Magnes. n. 6.); *qui ab uno Patre procedit, et in uno existit, eumque comprehendit* (ibidem n. 7.); ac denique in epist. ad Ephes. n. 7. duplicem in Christo distinguit naturam *factam*, et *non factam*, id est, humanam, et divinam (*). Ignatio proxime succedit S. Polycarpus M., in cujus martyrii actis (apud Ruinartium) extat illa praeclara oratio ad Patrem: *Te benedico in omnibus, et glorifico per aeternum Pontificem omnipotentem Jesum Christum; per quem tibi et cum ipso, et cum Spiritu S. gloria nunc et in futurum, in secula seculorum. Amen.*

§. LXXX.

Ex S. Justino. Apostolicis scriptoribus succenturiari potest S. Justinus, qui cum ipsis vixit. Hic vero quam saepissime Christum appellat *Filium Dei*, et *Deum*; et *in Dial. cum Tryph.* Verbi generationem explicans

(*) Epistolas S. Ignatii citavimus, non interpolatas, et corruptas, sed quales ex MSS. Bibliothecae Mediceae primum graece evulgavit Isaacus Vossius, latine autem publici juris fecit Usserius Armachanus ex duobus MSS. in Anglia repertis; et quae a pluribus criticis etiam heterodoxis ita contra Dallaeum et Salmasium vindicatae sunt, ut nullus supersit amplius de iis ambigendi locus. Fuit autem S. Ignatius secundus post Petrum Antioch. Episcopus, et initio sec. II. Martyrio coronatus est.

utitur similitudine ignis, qui ab alio igne generatur; post autem, ne quis colligeret, Verbum habere essentiam a Patre distinctam, utitur alia similitudine solis, a quo ejus lux abscindi, et separari non potest.

§. LXXXI.

Eadem cum Justino aetate florebat S. Irenaeus fidissimus discipulus S. Polycarpi; cujus sermonibus memoriae mandatis contra haereticos pugnare solebat, ut testatur Eusebius Lib. 5. *Hist. Eccl.* cap. 20.; quamobrem dum S. Irenaei doctrinam de Christi Divinitate proferimus, mentem etiam S. Polycarpi magis aperte cognoscimus. Porro S. Irenaeus Lib. 5. cap. 17. Christum fuisse Deum inde colligit, quia peccata dimittebat, quod ad solum Deum pertinet; unde concludit, fuisse eum simul hominem, et Deum: *Ut quomodo homo compassus est nobis, tamquam Deus misereatur nostri, et dimittat nobis debita nostra, quae factori nostro debemus Deo.* Et ut plura alia omittam, celebris est hujus Patris sententia Lib. 4. cap. 28. *Unus, et idem Deus Pater, et Verbum ejus.* Ex S. Irenaeo.

§. LXXXII.

Seculum II. claudat Clemens Alexandr. qui Ruffino teste *de adulter. Lib. Origenis* in omnibus pene libris suis Trinitatis gloriam et aeternitatem unam, eandemque praedicat. Et quidem saepius Christum appellat Deum, eumque in Patre esse dicit, et Patrem in eo, Lib. 1. *Paedagogi* cap. 5., et antea cap. III. duplicem in Christo distinguit naturam, divinam, et humanam. Ac demum celebris est illa oratio, qua librum tertium *Paedagogi* ita concludit: *Sis propitius tuis o Paedagoge pueris, Pater, Auriga Israel, Fili et Pater, unum ambo . . . gratias agentes laudemus unum Patrem, et filium... una cum S. Spiritu, qui unus est omnia.* Ex Clem. Alexand.

§. LXXXIII.

Veniamus modo ad Seculum III. in quo illustre Divinitatis J. C., et totius Trinitatis testimonium habemus apud S. Hippolytum Episc. et Mart. qui in libro contra Noethum post multa in hanc rem Ex S. Hippolyto Episc. Portuensi.

disputata ita num. 8. concludit : *Necesse ergo est, ut quamvis nolit, confiteatur Deum Patrem omnipotentem, et Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem . . . et Spiritum S., et hos esse vere tres.*

§. LXXXIV.

Ex S. Dionysio Alexandr.

Sed adhuc magis illustre eodem seculo Divinitatis J. C. documentum nobis suppeditat Dionysius Alexandr. Hic accusatus fuit apud cognominem suum Dionysium R. P., quod Sabellianos impugnans ita tres personas in Trinitate distingueret, *ut Filium rem factam, et Patri non consubstantialem affirmaret* (apud S. Athanasium *de Synodis* num. 43.). Porro idem Dionysius hujus criminationis commonefactus, datis ad R. P. litteris, additaque etiam apologia suam fidem plenissime purgavit: qua in re apparet duarum principum Ecclesiarum Romanae, et Alexandrinae de Christi consubstantiali Divinitate consensus. Ubi etiam notandum est, a R. P. in re tanti momenti coactam fuisse synodum, in qua definitum fuit, errare tam eos, qui cum Sabellio unam personam statuunt, tam eos, *qui dividunt, et secant, et evertunt religiosissimum dogma Ecclesiae Dei, monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, et divisas hypostases, ac Deitates tres.* Nihil clarius ad fidem Ecclesiae Occidentalis hac in re manifestandam (*).

(*) Sandius *in Nucleo Hist.* Lib. 1. Apologiam S. Dionysii rejicit ut fictitiam: primo quia S. Hieronymus, et Eusebius nullam ejus mentionem faciunt : secundo quia Dionysius Alex. jam obierat, quando Dionysius Rom. Pontificatum adeptus est. Verumtamen primum argumentum inficiale est, quod nullam vim habet, cum ipsi opponatur gravis auctoritas SS. Athanasii, et Basilii ; quorum prior loco supra cit., alter e pist. 9. accusationem Dionysii Alexand., ejusque apologiam ut rem omnibus notam referunt. Aliud Sandii argumentum fal sum omnino est, et ex erronea Eusebii chronologia de promtum. Eusebius enim Lib. 7. *Hist. Eccl.* cap. 27. Xysto praedecessori Dionysii, 11. annos Pontificatus tribuit : cum tamen nonnisi triennio circiter regnaverit. Pontificatus ergo Dionysii 8. fere annis retrahendus est. Et sane ipse Eusebius cap. praec. dixerat Dionysium Alex. 4. libros contra Sabellium Dionysio Rom. nuncupasse.

§. LXXXV.

Quamquam multo ante sec. III. in Ecclesia latina de Christi divinitate traditio vigebat; ut apparet 1. ex S. Clemente, qui Petro in Apostolica sede post Linum successit. Hic in epist. 1. *ad Corinth.* n. 2. Christum appellat *Deum*. In eadem Ecclesia Romana sec. II. florebat Cajus Presbyter, cujus opera injuria temporum perierunt; sed Photius, qui ejus librum de *universo* legerat, ita de eo scribit *in Biblioth.* cod. 48. *De Christi autem veri Dei nostri Divinitate aptissime disserit.* Et si etiam daremus, hunc librum *de universo* perperam Cajo adscribi, (quod nonnulli critici adversus Photium contendunt) negari saltem non potest, hunc librum esse antiquissimum: quamobrem antiqua Ecclesiae occidentalis traditio etiam ex eo liquet. Addimus denique S. Cyprianum Ecclesiae Africanae lumen, qui saepius Christum appellat *Deum*, et in Lib. *de Unit. Eccl.* cap. 4. ejusdem cum Patre consubstantialitatem praedicat, inquiens: *Dicit Dominus: ego et Pater unum sumus. Et iterum de Patre, et Filio, et Spiritu S. scriptum est: Et hi tres unum sunt.* Et in Epist. *ad Jubajanum: Cum tres unum sint*, inquit, *quomodo Spiritus S. placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est?*

Ex S. Clemente R. P.

Ex Cajo Presb. Ecclesiae Rom.

Et ex S. Cypriano.

Scholion. Ex his aliisque non paucis, quae brevitatis studio omisimus, SS. Patrum utriusque Ecclesiae testimoniis ita olim concludebat S. Athanasius *de Synodi Nicaenae decretis* Arianos alloquens: *Ecce nos demonstravimus istiusmodi sententiam a Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse. Vos autem; o novi Judaei, et discipuli Cayphae, quos demum assertionum vestrarum Patres ostendere valetis? immo ne unum quidem ex prudentibus et cordatis nominare possitis; cuncti enim vos aversantur, praeter unum Diabolum, qui solus hujus defectionis vobis auctor fuit.* Aliqua tamen veteres, novique Ariani proferre solent SS. Patrum testimonia, quae explicare necessarium videtur. Sit itaque.

CAPUT X.

Expenduntur nonnulla veterum Patrum testimonia, quibus Ariani abutuntur.

§. LXXXVI.

Patres dixerunt, Verbum prodiisse paulo ante mundum.

Abuti primo loco solent quibusdam locis veterum Ecclesiae Patrum, quibus doceri videtur, Verbum genitum non fuisse ab aeterno, sed paulo ante mundi creationem, ut scilicet rerum condendarum idea et actus foret. Ita Athenagoras *in Legat.* n. 10., Theophilus Antioch. Lib. 2. *ad Autolycum* n. 10., et S. Hippolytus *Homil. de Deo trino, et uno.*

§. LXXXVII.

Sed de generatione impropria loquebantur.

Verum antiqui illi Patres duplicem Verbi generationem distinguebant, alteram propriam, eamque aeternam, qua Verbum cum Patre semper extitit; alteram impropriam, et temporalem, quando Verbum in operibus ad extra manifestatum est. Luculenter se ipsum, et alios etiam Patres explicat S. Hippolytus; in homilia enim laudata de Deo Patre loquens inquit: *Quod Verbum cum in se haberet, essetque mundo creato inadspectabile, fecit adspectabile, emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans.* Immo S. Hippolytus veritus, ne id aliquibus esset erroris causa, quasi Filius diversus esset a Patre, clarius se explicans inquit: *Cum alium dico, non duos Deos dico, sed tamquam lumen ex lumine, et aquam ex fonte, aut radium a sole:* nimirum his similitudinibus aeternam Verbi generationem, eandemque Patris, et Filii naturam quoad fieri potest, veteres explicabant (*).

(*) Prudentius Maran *in Divinitate Christi manifesta etc.* Lib. 4. cap. 25. ostendit, etiam post Concilium Nicaenum nonnullos Patres, de quorum fide suspicio nulla esse potest, iisdem phrasibus fuisse usos. Idipsum ostenderat etiam Georgius Bullus ex secta Episcopalium in Anglia *in Defensione fidei Nicaenae* sect. 3. cap. 9.

§. LXXXVIII.

Quaedam locutiones Patrum Ante-Nicaenorum.

Abutuntur etiam hostes Divinitatis Christi quibusdam SS. Patrum locutionibus, quibus Filium esse Patri inferiorem asserunt. Sic Justinus *in Apol. prima* Verbo secundum locum tribuit, et *in Dial. cum Tryphone* Filium vocat *Patris administrum*, *Patri subjectum*, *ejusque voluntati servientem*: vocat deinde Patrem *causam* Filii, et quidem vult Filium genitum consilio, et voluntate Patris. Secundo S. Irenaeus Lib. 2. cap. 22. non alia de causa dicit Christum ignorasse diem judicii, nisi *ut discamus per ipsum super omnia esse Patrem*. Hinc etiam saepius docet Patrem praecepisse Filio, et Filium Patri ministrasse. 3. Clemens Alexan. de natura Filii loquens Lib. 7. *Stromatum* eam dicit *soli omnipotenti conjunctissimam*; eumque *omnipotentis Patris voluntati servire*. Quod ipsum etjam asseruerunt illi Episcopi, qui in Concilio Antioch. I. Pauli Samosateni errores damnarunt. Demum in constitutionibus Apostolicis Lib. 5. cap. 7 expresse dicitur *Verbum ministrasse Deo suo, et Patri ad omnia*.

§. LXXXIX.

Explicantur; et primo S. Justini.

Hae tamen, et similes locutiones, quae in Patribus Ante-Nicaenis haud raro inveniuntur, emolliendae sunt, et per constantem ipsorum, et Ecclesiae doctrinam explicandae. Sic cum Justinus secundum locum concedit Filio, non illum natura, aut dignitate, sed tantum origine Patri secundum, et inferiorem facit; ut enim supra vidimus §. 80. ita Verbum ejusdem esse cum Patre substantiae asserit, ut ab eo abscindi, aut divelli nequeat. Minus etiam proprie appellat Verbum ministrum Dei, eique subjectum; in epistola enim ad Diognetum negat a Patre missum *ministrum aliquem, aut Angelum, sed ipsum opificem, et creatorem omnium*, nempe Filium suum. Improprie item usurpat nomen *causae* loco *principii*, quod etiam fecerunt aliqui Patres Nicaeno Concilio posteriores, de quorum recta fide nemo ambigit. Cum denique dicit Filium genitum a Patre *consilio*, *et voluntate*, brutam quamdam necessitatem excludit, non autem eam necessitatem, qua Deus se ipsum necessario intelligens generat Verbum.

§. XC.

Tum S. Irenaei.

Sic etiam de inferioritate ordinis, et principii intelligendus est S. Irenaeus, non autem de inferioritate naturae, et dignitatis; ut enim supra vidimus §. 81. dicit *unum, et eundem Deum esse Patrem, et Verbum ejus*. Neque vero Irenaeus vult judicii diem fuisse Christo omnino ignotum; sed solum Patrem, qui *in omnibus communicat Filio*, ut ibidem ait, hanc sibi cognitionem reservasse hoc sensu; quia noluit, ut Christus eam nobis revelaret; atque hic ἐμφατικῶς locutus esse videtur ad stultam Gnosticorum temeritatem comprimendam, qui omnium mysteriorum scientiam sibi arrogabant, quasi contra ipsos ita concludens: Si Christus judicii diem, et horam concessit scire solum Patrem, (quod sensu explicato intelligendum est) annon impudentissime faciunt Gnostici dum omnia se scire jactant? Cum vero dicit, Patrem praecepisse Filio, id pariter intelligi debet minus proprie, habita solum ratione principii, et quacunque semota inaequalitate.

§. XCI.

Clementis item Alexandr.

Clemens autem Alexandrinus nomine naturae intelligit *personam*; insolens enim non erat graecis Patribus uti voce φύσις ad denotandam personam, ut ostendit Petavius Lib. 4. *de Trinit.* cap. 2., et ita proprie dicere potuit, naturam, seu personam Filii esse Patri conjunctissimam. Quod si de ipsa essentia Filii Clemens locutus esse dicatur, etiam haec prout subsistens in persona Verbi, dici potest conjuncta Patri, eo sensu, quo Gregorius Nazianz. *in Carm.* dixit, Filium *habere naturam Patri aequalem*, et Athanasius epist. 2. *ad Serap. substantiam Filii esse consubstantialem Patri*; ac demum alii Filium appellarunt *essentiam ex essentia, sapientiam ex sapientia, voluntatem ex voluntate, lumen de lumine*. Dictum est autem non a Clemente solo, sed a pluribus aliis Verbum voluntati Patris servire in sensu minus proprio, ut jam explicatum est. Ceterum Clemens, ut perfectam Patris, et Filii aequalitatem exprimeret, non dubitavit etiam hymnum glorificationis immutare dicens Lib. 3.

Paedagogi cap. ult. *Laus, et gratiarum actio Patri, et Filio, Filio, et Patri.*

§. XCII.

Quid de Constitut. Apostol. sentiendum?

Constitutiones Apostolicae suppositiae sunt, pluribusque erroribus scatent (*). S. quidem Epiphanius laudem orthodoxiae eisdem tribuit; sed vel, quas Epiphanius habebat, interpolatae nondum erant, vel ut Cotelerius observat, aliqua benigna interpretatione fortasse emolliri possunt.

§. XCIII.

Quo sensu Patres dixerint Verbum esse visibile?

Sunt etiam aliqui veteres Ecclesiae Patres, qui Verbum Dei neque immensum, neque invisibile asserere videntur, adeoque nec Deum. Nam S. Justinus in *Dial. cum Tryph.* negat Patrem apparuisse veteribus Patriarchis, quia invisibilis est, et immensus, et vult *visum esse eum, qui secundum ipsius* (Patris) *voluntatem et Deus est ipsius Filius, et Angelus, ex eo quod ministret ipsius voluntati*; quod alibi etiam repetit. Idipsum docet Theophilus Antiochenus Lib. 2. ad Autolycum contendens non Deum, Patrem universorum, qui non potest comprehendi, nec invenitur in loco, sed ejus Verbum venisse in Paradisum sub persona Dei, et cum Adamo collocutum fuisse. Eadem docent S. Irenaeus Lib. 4. cap. 20. et alii.

§. XCIV.

Explicantur de natura assumpta.

Non inficiamur, hanc fuisse plurium veterum sententiam, non Deum Patrem, sed Filium veteribus Patriarchis apparuisse; non quidem in propria natura divina, quae invisibilis est; sed in forma humana assumta (**).Hujus autem rei hanc plerumque

(*) Patres Synodi Trullanae can. 2. de istis constitutionibus ita loquuntur: *Quibus olim ab iis, qui a fide aliena sentiunt, ad labem Ecclesiae aspergendam adulterina quaedam, et a pietate aliena introducta sunt, quae divinorum nobis decretorum elegantem, ac decoram speciem obscurarunt. Has constitutiones ad gregis aedificationem, et securitatem conducibiliter rejecimus, haereticae falsitatis faetus nequaquam admittentes* etc.

(**) Ceterum S. Augustinus Lib. 2. *De trinit.* opinatus est, modo Patrem, modo Filium, modo Spiritum S. immo

allegabant rationem, quod non deceret Patrem utpote ingenitum, mitti, et fieri visibilem, ac circumscriptum in natura assumta; id autem magis proprie convenire Filio, qui utpote genitus a Patre mitti potest, et qui naturam humanam sibi hypostatice unire debebat; et hujus hypostaticae unionis illae antiquae apparitiones erant quasi praeludium.

§. XCV.

In propria autem natura est invisibile.

Hanc, et non aliam fuisse Justini opinionem ex eo liquet, quod alibi S. Martyr Verbum invisibile, et immensum aperte confiteatur. Sic in *Protreptico ad Graecos* dicit Verbum fuisse visum a Moyse, *quatenus quidem possibile erat homini Deum apparere*, videlicet non in propria, sed in aliena natura; et in epistola ad Diognetum, *Verbum ne animo quidem comprehendi posse* dicit.

§. XCVI.

Cur Filius apparuerit et non Pater?

Nec alia fuit Theophili opinio; ibidem enim conceptis verbis declarat, ideirco Filium missum fuisse, ut hominibus appareret, *quia Deus est ex Deo genitus, quia Verbum est illius, per quod omnia fecit, virtus, et sapientia ejus*. Ita pariter intelligendus est Sanctus Irenaeus, qui Lib. 4. cap. 24. de Verbo, seu λόγῳ inquit, *eum naturaliter invisibilem, palpabilem, et visibilem in hominibus factum esse.*

§. XCVII.

Quo sensu Christus dictus sit *Vas Spiritus.*

Restant adhuc explicanda pauca quaedam veterum dicta, quae videntur Christi divinitati repugnare; ut cum S. Barnabas (vel quisquis alius sit epist. quae sub ejus nomine circumfertur, vetustissimus Scriptor) Christum appellat *vas Spiritus*; et Hermias Lib. III. *similitudinum*, Christum fuisse dicit

Servus Spiritus S.

servum Spiritus Sancti; et alii eum appellarunt *portionem Patris*. Sed primae duae locutiones facile explicantur de humana Christi natura, in qua,

---

ipsam totam Trinitatem aliquando apparuisse. Eademque fuit plurium aliorum Patrum sententia; qua de re plura disserit Petavius Lib. 2. *de Trinit.* cap. 2.

ut inquit Apostolus Coloss. II. 9. *Inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; Sancti enim Patres nomine spiritus quandoque divinitatem intelligebant. Sensu etiam valde improprio, et remoto dici potest Filius *portio Patris*, quatenus totam illius essentiam habet quidem, sejuncta tamen Paternitate. Et *portio Patris*.

CAPUT XI.

De nonnullis aliis Patribus Ante-Nicaenis, quorum fides dubia est.

§. XCVIII.

Magna in primis controversia est de Origene, quem Arianis faecem praetulisse bene multi existimant tam veteres, quam recentiores. Inter veteres Origenis accusatores maxime eminet S. Hieronymus, cujus auctoritate motus Gelasius Papa multa ejus scripta reprobavit. S. Augustinus etiam Haer. 43. Ariani erroris Origenem reum facit, quamquam non dissimulat, fuisse aliquos censentes eum docuisse, unius ejusdemque substantiae esse Patrem, et Filium, et Spiritum S. Reipsa Origenis defensionem suscepit Eusebius Caesariensis, conscripta pro eo Apologia, quae libris continetur, quaeque a Ruffino sub nomine Pamphyli Mart. edita fuit. Nec praetereundum est, fuisse Origenem a S. Athanasio in Libro *de decretis Nicaenae Synodi* tanquam strenuum Divinitatis Christi defensorem Arianis objectum. Ex hac veterum pugna factum est, ut etiam recentiores de Origenis orthodoxia in varias, et contrarias sententias abierint. Quid de Origene veteres senserint?

§. XCIX.

Minor est de Tertulliano controversia; pauci enim Petavio consentiunt, qui eum *Arianam haeresim impietate, et absurditate superasse* scribit Lib. 1. *de Trinit.* cap. 5. sed plurimi Recentiores eum recte de Trinitate sensisse ad oculum fere demonstrant. Negari quidem non potest, nonnulla apud eum inveniri obscure dicta, ea tamen ex aliis ejusdem locis facile ad sensum orthodoxum pertrahi posse Quid de Tertulliano?

ostenderunt Car. Witasse, Georg. Bullus, Prud. Maran, Jac. Pamelius, atque etiam Bossuetus.

§. C.

Ac de Novatiano?

Tertullianum sequitur κατὰ πόδας Novatianus, seu auctor libri de Trinitate inter opera Tertulliani, qui pariter ab omnibus fere eruditis, ut recte sentiens de Trinitate laudatur contra Petavium. Ignobilis tamen hic scriptor est, nec multam habet in Ecclesia auctoritatem.

§. CI.

Demum de Lactantio?

Nec multa pariter est auctoritas Lactantii, de cujus orthodoxa fide in mysterio Trinitatis dubitatur. De eo scribebat Hieronymus: *utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.* Non desunt tamen, qui ejus dicta benigne emollientes cum fide catholica conciliant, et illud praecipue, quod legitur Lib. *Divin. Institut.* cap. 11. *De Matre natus est, qui ante jam fuit, de Patre, qui aliquando non fuit*, putant esse vitiatum, et legendum: *De Patre, qui aliquando non defuit*, ut legitur in eodice Forojuliensi, memorato a P. Bern. de Rubeis *de rebus Congreg. B. Jacobi Salom.*

§. CII.

Etsi hi pauci Ario praeluxissent, non tamen tollerent traditionem Eccles.

Hos omnes Patres nos omisimus, ne in longiores et minime necessarias controversias ingrederemur; neque enim hi pauci, tametsi contrarii fuissent, universalem, et constantem aliorum traditionem infirmare possent; ut enim inquiebat Vincentius Lirinensis *in Commonit.* 1. *paucorum temeritati, vel inscientiae universaliter antiquitus universalis Ecclesiae decreta praeponenda sunt.*

§. CII.

Patrum Ante-Nicaenorum dicta non sunt rigide accipienda.

Illud etiam postremo loco generaliter monendum est, non esse antiquorum Patrum locutiones nimium ad vivum resecandas, sed benigne potius interpretandas; ut enim sapienter observabat S. Hieronymus *in Apolog. contra Rufinum, Antequam in Alexandria quasi Doemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute locuti sunt.*

Id ipsum peculiariter notavit de S. Dionysio Alexand. Basilius Magnus Epist. 9. cum enim asseruisset Dionysium *semina impietatis Anomaeae praebuisse*, subdit, hujus rei causam fuisse *non sententiae pravitatem, sed vehemens studium Sabellio adversandi*; unde etiam eum comparat arborum cultori, qui detortam recentem plantam erigens, eam in contrariam partem abducit; addit autem, eum admisisse Verbi cum Patre consubstantialitatem in iis, quae defensionis causa ad Dionysium R. P. scripsit.

Id de Dionysio notavit S. Basilius.

CAPUT XII.

Ostenditur recte sapienterque a Patribus Nicaenis ad definiendam Christi Divinitatem vocem ὁμοούσιον adhibitam fuisse.

§. CIV.

Vix credibile est, quot, et quantas Ariani et Semiariani propter hanc vocem turbas excitarint; quorum exemplum imitati Sociniani eo audaciae pervenerunt, ut magnam synodum Nicaenam, cujus summa semper in Ecclesia fuit auctoritas, Tritheismi accusare veriti non sint (*). At vero nemo melior Nicaenae synodi interpres quam S. Athanasius, qui ejusdem pars magna fuit; quique in libro *de Decr. Nic. syn.* postquam exposuit Arianorum tergiversa-

Quaenam sit ὁμοούσιοs significatio explicat S. Athanasius.

(*) Ita inter alios Christoph. Sandius *in Nucleo Hist.*, Steph. Curcellaeus *in Quatern.* dissert. 1., et Joann. Clericus *in Prologo ad Hist. Eccl.*, et alibi; quibus ansam dedisse nollem Petavium Lib. 4. *de Trinit.* cap. 13. n. 3. scribentem quaedam Tritheismi semina non solum apud veteres Ecclesiae Patres inveniri, sed apud eos quoque qui Arianorum perfidiam scriptis suis oppugnarunt: quibus Petavii verbis vix dici potest, quantum Trinitatis hostes triumphent. Multo minus probari potest intemperans illa Erasmi censura, qui *in Respons. ad notat. Eduardi Lei* Tom. IX. Opp. postquam multa de vocibus ὑπόστασις, et ὁμοούσιον liberiori stylo scripsisset, ita demum Aristarchi more concludit: *Ego si quid habuissem auctoritatis illis in synodis, in quibus de orbis concordia tractabatur, suasissem praestare, nescire quid sibi vellet homousii, et homaeusii verbum in Personis divinis, quam tanto rerum tumultu vel tueri, vel impugnare.* Ceterum Erasmum catholice de Verbi divinitate sensisse ostensum est a Martino Lydio in Apol. Erasmi.

tiones, et dolos, quibus omnia symboli verba haeretico sensu pervertebant, subdit, coactos fuisse Episcopos scribere *Filium Patri esse consubstantialem, ut scilicet significarent, Filium non tantum similem, sed eamdem rem similitudine esse ex Patre.* Pergit ulterius synodi mentem ita declarare: *Cum Filii ex Patre generatio alia plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit substantiae Patris, sed dividi nequeat: cum item ipse, et Pater unum sint, ut idem dixit, semperque Verbum sit in Patre, et Pater in Verbo eo modo, quo se habet splendor ad lucem, id enim dictio ipsa significat, idcirco synodus ea re perspecta, eum esse consubstantialem recte scripsit.*

§. CV.

Objectiones Arian. contra ὁμοούσιον

Quae Ariani, et Semiariani contra ὁμοούσιον opponebant, haec potissimum sunt: I. hanc vocem esse novam, quae neque in sacris Litteris, neque in SS. Patribus reperiretur: II. eam fuisse in synodo Antiochena damnatam: III. eam a Valentianis ceterisque Gnosticis usurpatam: IV. vocem ὁμοιούσιον fuisse multo aptiorem ad Christi Divinitatem explicandam.

§. CVI.

Nova haec vox est, sed sensus non est novus.

Primae difficultati S. Athanasius respondet, coactos fuisse Patres Nicaenos hanc novam vocem cudere ad pravas Arianorum interpretationes praecludendas; et quamquam in Sacris Litteris ipsa vox non extet, extat tamen illius sensus; unde S. Gregorius Nazianz. Orat. XL. *Si ita credendum est*, inquiebat, *cur non ita profitendum?* Et Augustinus Tract. 95. in Jo. *Adversus impietatem Arianorum haereticorum novam nomen Patres ὁμοούσιον condiderunt, sed non rem novam tali nomine signarunt.*

§. CVII.

Fuit tamen ab aliquibus usurpata.

Falsum est tamen hanc vocem numquam fuisse a priscis Patribus usurpatam; nam Eusebius certe minime suspectus (utpote qui eidem initio refragabatur) in antiquis operibus longe versatissimus, ita ad suos Caesarienses scribebat apud Socratem Lib. 1. cap. 8. *Nonnullos ex veteribus insignes Episco-*

pos, *et disertos scriptores in explicanda Patris*, *et Filii Divinitate hoc vocabulo consubstantialis usos esse novimus*. Et S. Athanasius in Epist. *ad Afric. Episc.* hanc vocem, *testimonio veterum Episcoporum* comprobatam esse dicit.

§. CVIII.

Verisimile non est, eam fuisse in Syn. Antiochena damnatam.

Hanc vocem fuisse in Synodo Antiochena condemnatam, Semiariani omnium primi dixerunt, sed parum probabile videtur. I. quia hoc nullatenus conciliari potest cum iis, quae supra diximus §. 84. de Dionysio Alexandrino. II. quia Ariani, quamquam in concilio Nicaeno omnem contra hanc vocem moverint lapidem, nullam tamen ejus condemnationis mentionem fecerunt; quod tamen non praetermisissent argumentum longe maximum, ac praecipue Eusebius, qui teste Socrate diu multumque ei reluctatus est: et qui acta Synodi Antiochenae ignorare non poterat, cum ejus insigne fragmentum Lib. 7. *Hist. Eccl.* cap. 30. referat. Quod si haec condemnatio vera esse dicatur (quod SS. Athanasio, Hilario, et Basilio a Semiarianis probabiliter deceptis persuasum fuisse videtur) tunc respondemus, fuisse damnatam in pravo sensu, quem illi Paulus Samosatenus tribuebat, et quem Patres Nicaeni caute ab illa sejunxerunt. Et certum aliunde est, posse eamdem vocem in diverso sensu modo approbari, modo damnari; quod S. Athanasius declarat exemplo Pauli Apostoli, qui diversa habita ratione legem veterem modo *sanctam* appellavit et *justam*, modo *imperfectam*.

Certum autem, non fuisse damnatam in sensu PP. Nicaen.

§. CIX.

In pravo sensu accepta a Gnosticis.

In pravo item sensu hac voce abusi sunt Valentiniani, Gnostici, et alii; sed *non ideo*, apposite inquiebat Tertullianus contra Praxeam cap. 8., *non utitur et veritas et vocabulo isto, et re, ac sensu ejus, quia et haeresis potius ex veritate accepit, quod ad mendacium suum strueret.* Et si haec ratio valeret, quot, et quanta a Religione ableganda essent, quibus ejus hostes abutuntur?

§. CX.

Vox ὁμοιόσιον suspecta.

Vox ὁμοιόσιον sufficiens quidem videri poterat ad Divinitatis dogma definiendum: erat tamen suspecta,

quia observante S. Basilio epist. 9. *in imaginibus*
etiam obscuris, et quae plurimum ab exemplaribus
dissident, simile concipere non raro solemus. Quamob-
rem qui eam usurpabant, rejecto ὁμοουσίῳ, suspicio-
ne non carebant, eosque sic hortabatur S. Hilarius
in Lib. *de synodis*: *Oro vos fratres, adimite su-*
spicionem; secludite occasionem; ut probari pos-
sit ὁμοιούσιον, *non improbetis* ὁμοούσιον: et iterum:
Datem veniam fratres, quam frequenter poposci:
Ariani non estis: cur negando ὁμοούσιον *censemini*
Ariani?

Scholion. Recte Henr. Valesius monet nullam fidem esse adhibendam Socrati, qui Lib. 3. *Hist. Eccl.* cap. 7. narrat in concilio Alexandrino fuisse agitatam quaestionem de *substantia* et *hypostasi*, ac definitum: *eas voces de Deo usurpandas non esse; nam substantiae quidem vocabulum in sacris Litteris nusquam reperiri; hypostaseos nomine autem abusum esse Apostolum ob dogmatum necessitatem.* Quis enim credat, S. Athanasium in Synodo Alexandrina, cui praeerat, passum fuisse id decerni, quod cum Synodo Nicaena e diametro pugnabat? quis etiam credat eidem Socrati ibidem dicenti: *Nicaenam synodum de hac quaestione* (scilicet de substantia) *ne verbum quidem fecisse*; addo in epistola synodica ejusdem Concilii, quam S. Athanasius edidit, nihil de iis, quae narrat Socrates, reperiri.

CAPUT XIII.

De conciliis Nicaeno, Sardicensi, et Ariminensi in causa Arianorum habitis.

§. CXI.

De Concilio Nicaeno, et formula fidei in eo statuta.

Praetermissis iis, quae in Historia Ecclesiastica de istis Conciliis fusius exponi solent, ea breviter solum attingemus, quae ad nostrum institutum pertinent. Cum Ariana haeresis nec pastoralibus S. Alexandri Episcopi Alexandrini curis, nec Synodo ex centum, et amplius Episcopis Lybiae et Ægypti coacta compesci potuisset, Imperator Constantinus M.

OEcumenicum Concilium, Sylvestro R. P. annuente Nicaeae in Bythinia anno 325. celebrandum curavit, cui 318. Episcopi ex variis mundi partibus adfuerunt. Hi causa Arii diligenter discussa, ejusque errore damnato pro fidei formula assumpserunt Symbolum Apostolorum, adjectis secundo articulo hisce verbis: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, et consubstantialem Patri*; quibus verbis omnia Arianorum subterfugia praecludere studuerunt.

§. CXII.

Nulla fidei formula in Syn. Sard. confecta.

Cum Ariani omnia susque deque movere non cessarent, et nonnullos viros catholicos, imprimis autem S. Athanasium variis calumniis lacesserent, ad Ecclesiae pacem restituendam Julius R. P., et duo Imperatores fratres Constans, et Constantinus anno 347. Sardicae in Illyrico Synodum coegerunt, cui nomine R. Pontificis praefuit Osius Cordubensis Episcopus cum duobus Presbyteris Archidamo, et Philoxeno. Porro nullam in hoc Concilio fuisse novam formulam fidei cusam, sed antiquam Synodi Nicaenae retentam, testis est omni exceptione major S. Athanasius, qui praesens aderat. Ille enim in Epist. Synod. Concilii Alexandrini a se anno 362. celebrati ita testatur: *Tabellas, quas nonnulli jactant, quasi ex Sardicensi Synodo de fide conscriptas ne legi quidem semel, aut proferri sinatis; nihil enim tale Concilium definivit. Quamvis enim certi homines nonnulla, quasi quae deessent concilio Nicaeno, adscribere vellent, idque acriter contenderent, sancta tamen Synodus, quae Sardicae convenit, indigne id tulit, decretoque sancivit, ne quid ulterius de fide scriberetur; et sese contentos esse Nicaena fide* (Patres) *declaraverunt; ut cui nihil deesset, et in qua integra, et sola fides contineretur: neque edendam esse aliam professionem fidei, ne illa, quae Nicaeae scripta est, suos numeros non habuisse videretur.* Idipsum confirmat Eusebius Vercellensis in subscriptione eidem epistolae subjecta.

§. CXIII

Socrates alii-que hac in re decepti.

Quae cum ita testentur Athanasius, et Eusebius, quis non videt deceptos fuisse Socratem, Sozomenum, Theodoretum, et Vigilium Tapsensem scriptores minime coaevos, qui contrarium referunt? quamvis eos non fuisse de tota hac re ex veritate instructos, aliis constat argumentis, quae modo persequi non vacat. Fortasse etiam laudati Scriptores formulam fidei a Schismaticis Orientalibus Philippopoli cusam verae Synodo Sardicensi tribuerunt. Sed haec satis pro re nostra: aliquanto plura de Synodo Ariminensi dicenda sunt.

§. CXIV.

Patrum Ariminensium lapsus.

Haec Synodus a Constantio, qui tunc solus obtinebat Rom. Imperium anno 359. coacta fuit: Episcopi circiter 400. in ea convenerant, majorem partem Catholici, qui propterea fidei formulam a Marco Arethusio Sirmii paulo ante dictatam in ipso concilii exordio proscripserunt, ac Nicaenam iterum confirmarunt, paucis Arianis, aut potius Semiarianis pertinaciter reluctantibus. Sed cum Taurus Prefectus urbis Synodum laxare nollet, donec omnes Episcopi conscriptae fidei consentirent, Catholici desiderio ad proprias sedes remeandi sensim deficere caeperunt, donec tandem (mirum dictu) primae formulae jam rejectae, quia ὁμοούσιον expuncto fides catholica ambiguis verbis exponebatur, omnes subscripserunt: tristis hic fuit Synodi Ariminensis exitus.

§. CXV.

Non tamen in haeresim.

Imprudenter egisse Patres Ariminenses, ac graviter peccasse, nemo ambigit, eos tamen a fide catholica defecisse, atque in haeresim Arianam fuisse prolapsos, ut aliqui contendunt (*), nullo modo con-

(*) Donatistae, et Pelagiani ex hoc facto colligebant, Ecclesiam totam ex eo tempore defecisse, ut videre est apud S. Augustinum epist. 93. ad Vincentium, et Lib. 1. contra Julianum c. 7. Idem saepius objiciunt Acatholici, ubi infallibilem Ecclesiae auctoritatem in definiendis controversiis fidei convellere student.

cedendum est; quod facile apparebit, sive ea spectemus, quae in ipso Concilio acta sunt, sive quae Concilium subsecuta; ita enim rem totam ex actis conciliaribus exponit S. Hieronymus in *Dial. adv. Luciferianos*. 1. Professio illa fidei verbis ambiguis ita concepta erat, ut externo verborum cortice sensum catholicum praeseferret. 2. reticebatur quidem ὁμοούσιον, sed probabilis hujus omissionis ratio praebebatur, quia in scripturis non invenitur, et multis scandalum afferebat: *Non erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto*. 3. cum aliqua esset suspicio de auctoribus formulae, illi coram Tauro publice professi sunt, se Arianos non esse, et penitus ab eorum blasphemiis abhorrere. Demum in Ecclesia coram tota populi multitudine Valens Mursiensis Episcopus suo, et aliorum Semiarianorum nomine: *Si quis negat*, inquit, *Christum Dominum Dei Filium ante secula ex Patre genitum, anathema sit; et ab universis consonatum est: anathema sit*. Plures etiam alii anathematismi ex utraque parte prolati sunt.

Quod ostenditur 1. ex iis, quae in Concilio acta sunt.

§. CXVI.

Idipsum multo apertius apparet ex iis, quae Concilium subsecuta sunt. Cum enim Valens, et Ursacius, ceterique nequitiae eorum socii palam evulgarent, se tantum negasse Filium esse creaturam *similem aliis*, Episcopi Catholici se deceptos tandem cognoscentes publice contestabantur Corpus Domini, et quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. *Decepit nos*, inquiebant, *bona de malis existimatio*; et flentes subscriptionem pristinam condemnare se paratos asserebant. Hinc etiam facile a Liberio Rom: Pont. et a Synodo Alexandrina anno 362. S. Athanasio Praeside celebrata veniam lapsus obtinuerunt, fueruntque in suis sedibus communi consensu servati, uno dissentiente Lucifero Calaritano, qui hoc praetextu Schisma conflavit. Sed de tota hac re praeter laud. Dial. S. Hieronymi legi meretur Severus Sulpitius Lib. 2. *Hist. Sac.*

2. Ex iis, quae Synodum subsecuta sunt.

§. CXVII.

Non me latet, a nonnullis Sanctis Patribus lapsum Ariminensium atris adeo coloribus descriptum fuisse,

Nonnulli videntur Episco-

pos Arimin. haeresis accusare.

ut manifeste haereseos accusari videantur. Sic S. Hilarius *Fragmento* 8. eos appellat *praevaricatores a fide*, eademque pene phrasi utuntur S. Ambrosius in cap. VI. Lucae, S. Augustinus epist. 185. Facundus Hermianensis Lib. 5. cap. 3. et S. Hieronymus, qui *in Dial. adv. Lucif.* altius inclamans inquit: *Tunc Usiae nomen abolitum est. Tunc Nicaenae fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et se esse Arianum miratus est etc.*

§. CXVIII.

Sed explicantur, ac praecipue S. Hieronymus.

Haec tamen omnia de Ariminensibus Episcopis verissime dici potuerunt spectata duntaxat fidei professione, quae medullitus Ariana erat, licet *sonarent verba pietatem*; non autem spectata intentione subscribentium: quam orthodoxam fuisse ex iis, quae superius diximus, aperte liquet. Quantum autem attinet ad S. Hieronymum, exaggeratam, et emphaticam esse ejus locutionem nemo non videt; nam 1. etiamsi daretur, Patres Ariminenses haeresi subscripsisse, non tamen inde consequeretur, totum mundum fuisse Arianum; ut enim S. Damasus apud Theodoretum Lib. 2. *Hist. Eccl.* cap. 22. observabat, nullum praejudicium *nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cum constet, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnes fuit expectanda sententia . . . neque alios hujusmodi statutis consensum commodasse.* Denique hyperbolicam esse locutionem Hieronymi, et ea, quae supra ex eodem Hieronymo attulimus, et textus ipse declarant. Addimus praeterea et pauca verba ex eodem Dial. depromta; postquam enim exposuisset, fuisse Ariminenses Patres decreto Alexandrinae Synodi in suis dignitatibus conservatos, ita subdit: *Non quod Episcopi possent esse, qui haeretici fuerant, sed quod constaret, eos qui reciperentur, haereticos non fuisse.*

CAPUT XIV.

De fide Liberii Rom. Pontificis.

§. CXIX.

Liberius in exilium pellitur, ac post biennium revocatur.

Liberius Julii in Romana sede anno 352. successor, initio Pontificatus eximia dedit in Nicaena fide defendenda fortitudinis specimina; et cum nullo modo adduci posset, ut cum Semiarianis communionem iniret, et S. Athanasii condemnationi consentiret, fuit a Constantio Imperatore anno 355. Beraeam in Thracia exilio relegatus, Felice in ejus locum suffecto; biennio autem post suae sedi restitutus Ecclesiam universam usque ad mortem sanctissime gubernavit. Porro hac in re duo nobis examinanda sunt; primum, an pretio impiae praevaricationis, Constantii videlicet violentiae cedens, fuerit suae sedi restitutus? secundo an, si reipsa lapsus fuit, etiam in Arianam haeresim consenserit?

§. CXX.

Communi fere opinioni de lapsu Liberii nonnulli refragantur.

Communis fere hactenus opinio fuit, Liberium exilii taedio fractum cum Semiarianis unionem iniisse, et formulae fidei Sirmii ab eis confectae subscribendo, atque S. Athanasium condemnando, reditum in urbem obtinuisse. Huic tamen opinioni alii non ita pridem refragati sunt, et quidem non levibus ducti argumentis. (*) Re diu, multumque perpensa, decantatus ille Liberii lapsus, si non omnino commentitius, dubius saltem mihi videtur: quaecumque enim

(*) Aliquod de hac re dubium primus movit Card. Brancatus de Laurea, post autem Gergnius Canon. Syession. an. 1736. dissertationem edidit, qua probare nisus est, Liberium semper sibi constantem non alia de causa fuisse ab exilio revocatum, quam propter preces Romanar. Matronarum, et populi seditionem. Har eandem sententiam deinde adoptarunt, atque illustrarunt Card. Orsius in sua *Hist. Eccl.* Lib. 14. num. 71. Franc. Ant. Zaccaria in Disser. de *Commentitio Liberii lapsu*, Jo. Stiltingius in *Actis SS.* ad diem 23. Sept., et Petrus Ballerinius *de vi ac ratione Primatus R. P.* cap. 15. §. 8.

pro eo asserendo hactenus allata sunt argumenta, non omnino firma esse ita breviter demonstro.

§. CXXI.

Liberii epistolae, quae in Fragm. S. Hilarii prostant, sunt supposititiae.

I. Afferri solent plures Liberii epistolae ex *fragmentis* S. Hilarii, ejusdem praevaricationis testes; quibus S. Hilarius commotior factus non dubitavit Liberio ter anathema dicere. Verumtamen praeterquam quod aliqui eruditi, ut Dupinius *in Biblioth.*, et Card. Perronius *in Repl. ad Regem Brit.*, totum opus *fragmentorum* Hilario abjudicant, certum apud Criticos est, illud ab Arianis fuisse foede interpolatum; praecipue autem primam Liberii epistolam ad Orientales esse supposititiam fatentur Critici peritiores. (*) Apocryphas autem esse etiam reliquas colligitur tum ex earum stylo, tum etiam ex silentio Sulpitii Severi, qui tamen, observantibus Maurinis, et Petavio, quasi Breviarium horum fragmentorum suae historiae inseruit.

§. CXXII.

Anathematismi, qui leguntur Frag. 6. pariter apocryphi.

Apocryphos etiam esse eruditi censent illos anathematismos, qui in *fragmento* VI. leguntur: *Anathema tibi a me dictum, Liberi, et sociis tuis; iterum tibi anathema; et tertio praevaricator Liberi.* Videantur Baronius ad an. 357., Natalis Alexander dissert. 32. in Sec. IV. art. I., et editores Benedictini in notis. Et sane non est verisimile, voluisse Hilarium tam acriter insultare Liberio eo tempore, quo reprobando Synodum Ariminensem, omnem pristinae ignaviae, si quam admiserat, labem absterserat.

§. CXXIII

Hilarius de lapsu Liberii dubitare videtur.

Genuina quidem sunt alia Hilarii verba, in quibus ita Constantium Imperat. alloquitur, in Lib. adv. ipsum: *Vertisti usque ad Romam bellum tu-*

(*) Baronius ad an. 357. n. 13., Dupinius in *Biblioth. novae Collect.* PP. animadv. 20. in S. Athanas. Constantius tom. I. *epist. Rom. Pont.* in append. Ceillier *des Aut. Eccl.* tom. 5. pag. 494., Severinus Binius in not. ad epist. Liberii tom. 3. *Concil.* atque etiam Caveus in *Liberio*, qui tamen eam epist. dicit octavam.

um, eripuisti inde Episcopum, et o te miserum! qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris. Haec tamen Hilarii verba eam fortasse Constantii impietatem spectant, qua jusserat, ut Liberius una cum Felice Ecclesiam administraret; quod populus Rom. audiens ita exclamavit: *Unus Deus, una fides, unus Episcopus.* Fortasse etiam Hilarius de lapsu Liberii dubitavit ex rumoribus, quos Semi-Ariani vulgaverant; propterea etiam se ambigere ostendit, dicens: *nescio*, etc.

§. CXXIV.

Aut apocrypha, aut dubia sunt duo Athanasii loca, in quibus Liberii lapsus memoratur.

Argumentum omnium maximum pro Liberii lapsu desumi solet ex S. Athanasio, qui expresse memorat tum in *Apol. contra Arianos* in duobus extremis paragraphis, tum in Epist. seu *Hist. Arianorum ad Monachos* num. 41. At vero et loca ista S. Athanasii suspicione non carent: certum est enim, et a viris eruditis plane demonstratum, haec duo opuscula fuisse a S. Athanasio elucubrata ante Liberii reditum: non ergo ipsius lapsus in iis mentio haberi poterat. Ulterius observate Tillemontio not. 81. in Athan. quae de Liberii, atque Hosii lapsu in Apologia leguntur, periochae sensum omnino perturbant, quod etiam a Papebrochio in vita S. Athanasii numero 287. notatum est. Ac demum cum Theodoretus ex operibus S. Athanasii ea desumpserit, quae de Arianis scribit, ut patet ex Lib. 2. *Hist.* cap. 15.; nihil autem referat de Liberii lapsu, conjicere possumus, nihil de eo extitisse in genuinis S. Athanasii operibus, adeoque etc.

§. CXXV.

Neque S. Hieronymus, neque Sozomenus indubium praebent Liberii lapsus argumentum.

Duo adhuc sunt Liberii praevaricationis gravissimi testes, scilicet S. Hieronymus in *Catal. Script. Eccles.* Cap. 97. et in *Chronico*; et Sozomenus Lib. 4. Cap. 14. ubi narrat Liberium fuisse ab Imperatore Sirmium accersitum, et compulsum, *ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur.* Negari quidem non potest, haec duo testimonia magnum facessere negotium; sola tamen vim omnino convincendi non habent. Nam S. Hieronymus falsis Semi-Arianorum rumoribus fortasse deceptus est, quod illi saepe alias contigit; ut cum Cyrillum Hieroso-

lymitanum Arianis consentire putavit in *Chronico*; cum Theophili calumniis aurem praebuit adversus Sanctum Joannem Chrysostomum; et Constantinum Imperat. ad Arianos defecisse scripsit: ex quibus, aliisque constat, ipsum falsis rumoribus plus aequo aurem quandoque praebuisse. Idem potiori jure de Sozomeno dicendum, qui Liberio integro quasi Seculo posterior fuit, et qui aliqua etiam miscet in sua narratione parum verisimilia, et ab aliis Historicis silentio praetermissa (*).

§. CXXVI.

Argumenta, qua suadere videntur, Liberii lapsum esse commentitium.

Ceterum hujus Liberii lapsus nullum est vestigium apud alios auctores, qui Arianorum historiam non indiligenter scripserunt. Nihil habet de eo Sulpitius Severus auctor coaevus, qui Lib. 2. *Hist. Sacrae* num. 39. „ Liberium dicit urbi restitutum *ob seditiones Romanas*, quod pariter testatur Socrates Lib. 2. cap. 37. addens eum a Constantio *invito* revocatum fuisse. Rem vero fusius Theodoretus exponit Lib. 2. *Hist. Eccles.* Cap. 17. scilicet matronas Romanas cum solemni cultu, atque ornatu Imperatorem adiisse; earum precibus, inquit, *Imperator flexus egregium illum, omnique laude dignissimum redire jussit.* His addi possunt SS. Epiphanius, Phaebadius, et Augustinus, qui cum multa de Arianorum violentia narrent; Liberii tamen lapsum alto premunt silentio. Ad haec certum ex historia videtur, Liberium magna populi Rom. gratulatione fuisse exceptum; nam Theodoretus loc. citat. ita narrationem concludit: *Post has christianissimae plebis acclamationes pietate ac justitia plenas reversus est admirandus ille Liberius.* Idem

(*) Eruditissimus P. Mamachius in Epist. 4. *de rat. temp. Athan.* not. 2. ad n. 125. monet in vetustissimo codice Chronici Hieronymiani Vaticano lapsus Liberii nullam esse mentionem; unde doctissimus vir conjicit eum fuisse recentioribus exemplaribus additum. Quantum spectat ad Sozomenum videri potest nota apposita ad Dissert. Hermanni Scholliner *de non commentitio lapsu Liberii Rom. P.* editione secunda ab anonymo multis animadversionibus aucta pag. 49. ubi ostenditur, fidem Sozomeni, ubi solus est, admodum esse infirmam.

fatetur Sanct. Hieronymus *in Chronico* inquiens, Liberium *quasi victorem* in urbem intrasse; qui festivus, et triumphalis Liberii ingressus cum deplorabili ipsius lapsu conciliari non potest (*).

§. CXXVII.

Quae tamem non omnino invicta esse fatemur.

Fatemur tamen, haec et alia hujus generis argumenta, quae pro Liberio ab omni crimine absolvendo adduci solent, non esse omnino invicta. Hinc fit, ut animo ancipites haereamus, nihilque certi affirmari posse putemus. Hoc etiam judicium tulisse videtur. Rufinus, qui Lib. 1. *Histor. Eccles.* cap. 27. haec habet: *Liberius urbis Rom. Episcopus Constantio vivente regressus est. Sed hoc, utrum quod acquieverit voluntati suae ad subscribendum, an ad populi Rom. gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus, indulserit, pro certo compertum non habeo.* Addere tamen non piget, non immerito hac etiam in re timeri posse Arianorum, et Semi-Arianorum fraudes. Eos scimus, referente Sozomeno Lib. 4. cap. 15., sparsis rumoribus divulgasse, Liberium *consubstantialis* vocabulo condemnato Filium Patri dissimilem fuisse confessum, quae certe putida calumnia fuit. Eosdem in Synodo Sardicensi suppositionis Litterarum fuisse convinctos, narrat S. Athanasius in *Apol. ad Constantium.* Ac denique nemo ignorat, quot, et quanta crimina eidem Athanasio per summam calumniam imposuerint. Nec facile admodum erat, turbulentis iis temporibus veritatem expiscari.

§. CXXVIII.

Liberius nota haereseos vindicatur.

Hactenus de Liberii lapsu nonnisi timide, et dubitanter loqui potuimus, sed quando postea agitur de nota haereseos, quam illi non pauci, nec ignobiles Scriptores affingunt, (**) certiora nobis ad eum

(*) Nulla autem fides habenda est actis S. Eusebii, quae prostant apud Baluzium Tom. II. *Miscell.* et in quibus dicitur, magnas in reditu Liberii turbas, et caedes factas fuisse; apocrypha sunt enim illa acta anacronismis, et absurditatibus plena, ut videre est apud Tillemontium Tom. VI. art. 75.

(**) Ita Blondellus *de Primatu R.P.* et Acatholici passim. Ex Catholicis Dupinius *de ant. Ecclesiae discipl.* Dis-

Tres formulae Sirmienses.

purgandum praesto sunt argumenta. Sed primo observandum est, tres fidei formulas Sirmii intra paucos annos fuisse confectas; alteram a Semi-Arianis an. 351.; alteram a Potamio Episcopo Ulyssiponensi, Ariano an. 357.; tertiam vero an. 358. vel 359. a Marco Arethusio. Prima, et tertia ambiguis verbis conceptae, poterant ad sensum orthodoxum facile pertrahi; non ita autem secunda, quae purum, putumque spirabat Arianismum. Qui Liberium haeresi consensisse autumant, consequenter etiam contendunt, eum secundae formulae Sirmiensi subscripsisse. Qui autem Liberium ab hac infamia liberant, (paucis exceptis) communiter censent Liberium primae formulae Sirmiensi consensum praebuisse.

§. CXXIX.

Liberius subscripsit primae; quod ostenditur *ex Fragm.* Hilarii.

Haec autem sententia validis hisce momentis confirmatur. Primo. Si fides habeatur fragmentis S. Hilarii, formula Sirmiensis, cui subscripsit Liberius, fuit conscripta a Theodoro Heracleensi, Basilio Ancyrano, Sylvano Tharsensi, aliisque Episcopis Orientalibus, qui 22. nominantur; at vero formula secunda non ab Orientalibus, sed ab Occidentalibus, et quidem latine edita fuit, ut testes sunt Hilarius, et Athanasius in Lib. de *Synodis*. Praeterea neque Theodorus Heracleensis, neque Sylvanus Tharsensis, neque Basilius Ancyranus in secunda formula partem habuerunt; primus enim jam ab anno 355. obierat, ut Theodoretus testatur lib. 2. *Hist. Eccles.* cap. 16.; alii vero duo vel catholici erant, vel saltem Semiariani hostes Anomaeorum, qui secundam formulam cuderant. Accidit, in formula a Liberio approbata non legi nomina Germinii, Hosii, et Potamii, qui auctores fuerunt secundae formulae: si itaque Hilarii fragmentis fides habetur, Liberius etc.

§. CXXX.

Et ex Socrate.

Si fides pariter habetur iis, quae narrat Socrates Lib. 4. cap. 15. Liberius Sirmium evocatus doctri-

---

sert. 5. §. 3. . et in aliis suis operibus: Bossuetus in *Defens. Declarat.* etc., ut inde colligant, Rom. Pontifices posse in rebus fidei falli.

nam Anomacorum coram Imperatore Constantio proscripsit, edita confessione; *qua eos, qui Filium secundum substantiam, et per omnia Patri similem non esse assererent; alienos ab Ecclesia pronunciabat*: non itaque secundam formulam Anomoeorum probare potuit.

§. CXXXI.

Quo sensu haec formula dicta sit *Ariana perfidia*.

Neque obest, formulam a Liberio probatam vocari ab Hilario *in fragm. Arianam perfidiam*; hujusmodi enim ignominiae nomine vocari poterat etiam prima formula Sirmiensis, tum quod, ut ipse Hilarius recte inquiebat adversus Constantium n. 15.: *quidquid praeter fidem unam* (nempe Nicaenam) *est, perfidia, non fides est*; tum quod etiam in prima formula vox ὁμοίσιος omittebatur, quae tamen tanquam fidei tessera fuerat in Concilio Nicaeno consecrata; tum demum, quia, tametsi haec formula externo verborum cortice catholica erat, habita tamen ratione auctorum suspecta merito reddebatur.

§. CXXXII.

Ac Liberius appellatus haereticus.

Non me latet, ab aliquibus vetustis scriptoribus fuisse Liberium haereseos accusatum; notum enim imprimis est illud S. Hieronymi *de Scriptor. Eccles.* cap. 97. ubi dicit Liberium fuisse a Fortunatiano Episcopo Aquilejensi *fractum, et ad subscriptionem haereseos compulsum*; et illud etiam Auxilii, qui Lib. 1. *de Ordinat.* cap. 25. *Quis enim nescit*, inquit, *quod Liberius, heu proh dolor! Arianae haeresi subscripserit?* Sed haec duriora sunt, et debent aliqua ratione ita emolliri, ut *haeresis* nomine nonnisi praevaricatio illa intelligatur, in quam Liberium communicando cum Arianis prolapsum fuisse auctores isti crediderunt. Quamquam Auxilius Sec. X. auctor, gestorum Liberii minus accuratam notitiam habuisse videtur; ita enim prosequitur: *Liberius apostata factus vixit annos sex*; cum tamen ex historia constet, eum in Pontificatu vixisse ut minus annos 14., et post reditum ab exilio regnasse fere 10. annis. Et de iis, quae ad Filii divinitatem pertinent, hactenus. Nunc de Spiritu S.

CAPUT XV.

De Spiritus S. Persona.

§. CXXXIII.

Haeresis Macedoniana medio Sec. IV. contra Spiritum S.

Nondum compressa penitus erat Ariana impietas, cum circa medium seculum IV. orta est Pneumatomachorum haeresis, ita dicta, quod bellum Spiritus S. Divinitati inferret. Ejus auctor fuit Macedonius pseudo-Episcopus Constantinop., qui ab haeresi Ariana ex parte recedens Filii Divinitatem confessus est, negavit tamen Divinitatem Spiritus S.; quamobrem ejus asseclae proprie Semiariani dicti sunt; quod tamen nomen minus proprie iis etiam tributum fuit, qui contra Arium, et Anomaeos Filium Patri in substantia *similem* seu ὁμοιούσιον fatebantur, cum Catholicis tamen eundem ὁμοούσιον fateri nolebant.

§. CXXXIV.

Macedoniani inter se non conveniebant, quid Spiritus S. esset.

Quamquam vero Macedoniani communi consensu Spiritum S. personam esse divinam negabant; non tamen unius labii inter se erant, quando dicere cogebantur, quid ille esset. Aliqui enim ipsum *meram energiam*, seu *virtutem* Dei vocabant; alii *creaturam*, quae solo gradu ab Angelis differret; alii demum id se ignorare fatebantur, quia sacrae Litterae nihil expressum super hac re haberent. Haec constant ex S. Gregorio Nazianz. Orat. 37., ex S. Athanasio epist. 1. *ad Serap.*, aliisque.

Damnata est haec haeresis.

Damnata fuit haec haeresis primo in Concilio Alexandr. cui praefuit S. Athanasius anno 362., postea in Synodo Illyrici anno 367., deinde in Synodo Romana sub Damaso, ac demum in II. Concilio Oecumenico Constantinopoli celebrato anno 381.

§. CXXXV.

Et merito, quod prob. primo ex forma Baptismi.

Merito autem fuisse hanc haeresim condemnatam ex iis abunde liquet, quae supra Cap. II. et sequ. contra Sabellianos disputavimus, imprimis autem ex forma baptismi, quo argumento etiam Patres Constantinopol. usi sunt. Unde etiam S. Basilius in Lib. *de Spiritu S.* cap. 11. Macedonianos appellabat *per-*

fugas, et *praevaricatores*, quia pactum cum Deo initum in forma baptismatis irritum faciebant.

§. CXXXVI.

Deinde ex cap. XV. et XVI. S. Joan.

Praeterea Spiritum S. esse Personam, eamque divinam luculentissime docuit Christus Dominus iis verbis, quae leguntur apud Joan. Cap. XV., et XVI. ubi promittit se missurum *Paraclitum Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*: addit insuper: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur, et quae ventura sunt, annunciabit vobis*: et multa id genus alia, quibus Personam divinam significari omnes, solis exceptis Unitariis, et Macedonianis semper intellexerunt.

§. CXXXVII.

Ac demum ex Act. V.

Demum explicatissimus est ille locus Act. V., ubi S. Petrus Ananiam sacrae pecuniae depeculatorem ita objurgat v. 3.: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* post vero quisnam sit Spiritus S. docet subdens: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

§. CXXXVIII.

Accedit etiam PP. traditio.

Accedit etiam communis, et vetustissima Ecclesiae traditio, et fides, cujus testis locupletissimus est ille glorificationis hymnus: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui S.*; cujus usum a primis religionis Christianae temporibus obtinuisse probat S. Basilius *de Spiritu S.* cap. 29. allegatis testimoniis Clementis P. R., Athenagorae, Irenaei, duorum Dionysiorum, Origenis, Africani Historici, Gregorii Neocaesariensis etc. Addit S. Pater veteres preces *lucernarias*, in quibus dicebatur: *Laudamus Patrem, et Filium, et S. Spiritum.*

§. CXXXIX.

Praecluditur cavillatio Zwickeri.

Frustra autem aliqui cum Zwickero observant, apud veteres dici ut plurimum consuevisse: *Gloria Patri, et Filio, in Spiritu sancto*; vel *cum Spiritu sancto*. Nam 1. S. Basilius pluribus exemplis, et argumentis ostendit, idem prorsus utroque modo si-

sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, non quasi Apostoli elingues facti essent, sed quia nonnisi ea loquebantur, quae Spiritus S. eis suggerebat, unde antea dixerat: *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Quamquam vero et Pater, et Filius faciant nos orare, id tamen tribuitur per appropriationem Spiritui S.; cui ea appropriantur, quae ad nostram sanctificationem pertinent.

§. CXLIII.

Tum alterum ex Jo. VII.

Parum autem interest, quod in graecis exemplaribus et in nonnullis etiam latinis desit illa vox *datus*; ipse enim contextus aperte declarat, eamdem subintelligi, et supponi debere; ita enim habet S. Evangelista: *Hoc autem dixit* (Jesus) *de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus* etc. quod ita explicat S. Augustinus: *Non enim non erat Spiritus Dei, qui erat apud Deum: sed nondum erat in eis, qui crediderant in Jesum; ita enim disposuit Dominus Jesus, non eis dare Spiritum istum, de quo loquimur, nisi post resurrectionem suam.*

§. CXLIV.

Et tertium ex Joan. XVI.

Tertium etiam testimonium interpretatur S. Augustinus, ut Spiritus S. dicatur non loqui a semetipso, quia essentiam, unde alia omnia dimanant, non habet a semetipso, sed a Patre, et Filio, a quibus procedit; et a quibus etiam mitti dicitur.

§. CXLV.

Locus ex I. Corinth. II.

Aliud sacrae Scripturae testimonium afferre solent Sociniani, quo contendunt, verae Divinitatis characteres Spiritui S. denegari. I. Corinth. II. 10.: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum, quae hominis sunt, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ex quibus tria colligit Crellius: 1. comparationem fieri inter spiritum Dei, et spiritum hominis, qui postremus certe non est persona hominis, sed ejus pars. 2. si Spiritus S. esset persona divina, non diceretur scrutari, sed scire omnia. 3. etiam sequeretur, Patrem,

et Filium nescire ea, quae Dei sunt, cum dicatur ea neminem noscere, nisi Spiritum Dei.

§. CXLVI.

Explicatur.

Leves sunt istae argutiae, quarum primae respondemus, in hoc solum institui comparationem, ut quemadmodum spiritus hominis noscit ea, quae hominis sunt, ita Spiritus S. noscat profunda Dei; quamobrem ei revelanti credendum esse, qui erat Apostoli scopus: antea enim dixerat: *Nobis Deus revelavit per Spiritum suum*; *Spiritus enim etc.* Secunda quoque futilis est; neque enim *scrutari* excludit plenitudinem scientiae divinae; cum Deus saepius in sacris Litteris dicatur *scrutari renes et corda hominum*. Et magis etiam futilis est tertia; nam cognitio eorum, quae in Deo sunt, non tribuitur Spiritui Sancto per exclusionem Patris, et Filii, sed per exclusionem aliorum spirituum creatorum.

§. CXLVII.

Nomen spiritus designat personam.

Similiter frustra cavillantur Sociniani, cum loca sacrae Scripturae colligunt, in quibus nomen spiritus tribuitur essentiae divinae; haec enim loca aliis non obsunt, quibus ostendimus nomine Spiritus S. Personam designari a Patre, Filioque distinctam. Cavillantur pariter, dum ex quo caritati, aut legi, aut aliis rebus inanimatis ea nonnunquam metaphorice tribuuntur, quae Personae proprie conveniunt, inferunt etiam Spiritui S. metaphorice tribui Personae characteres. Nemo enim certe inficiabitur, plura esse in scripturis metaphorice dicta, ea tamen plerumque sunt ita perspicua, ut nulla inde possit oriri erroris occasio. Non ita se res habet de Spiritu S.; nam 1. nomine spiritus obvio sensu intelligitur substantia. 2. Cum dicitur procedere a Patre, significatur Persona procedens, non secus ac Filius. 3. Cum in baptismo conjungitur cum Patre, et Filio, quilibet credit, ab utroque distingui. 4. Apparitio ejusdem in columbae specie non potest nisi Personae convenire. Demum cum tot proprii Personae characteres tam saepe, et tam constanter Spiritui Sancto attribuantur, Scriptura sacra ansam erroris nobis suppeditaret, si Persona reipsa non esset.

§. CXLVIII.

Et haec quidem facilia sunt; illud non tam facilis solutionis est, quod ex Concilio Nicaeno opponitur, ubi tantum Divinitas Filii asserta, et vindicata est; cum tamen Ariani non minus contra Divinitatem Spiritus Sancti, quam Filii blasphemarent. Communis SS. Patrum Basilii, Epiphanii, Athanasii, atque etiam Hieronymi hujus difficultatis solutio est, nihil fuisse expresse in concilio Nicaeno de Spiritu Sancto definitum, quia de eo quaestio mota non erat, sed tantum de Filio. Ceterum universalem Ecclesiae fidem de Spiritus S. Divinitate semper fuisse, vel ex eo solo liquet, quod illi ipsi Patres Nicaeni, qui Arium condemnarunt, etiam contra haeresim Macedonii, statim ac erupit, quasi facto agmine insurrexerunt. Ulterius in ipso concilio Nicaeno fuisse saltem implicite Spiritus Sancti Divinitatem assertam, et vindicatam, testis est omni exceptione major S. Athanasius, qui in epist. ad Jovianum Imperat. de Patribus Nicaenis inquiebat: *Sed neque Spiritum S. a Patre, et Filio separarunt; quin potius eum una cum Patre, et Filio glorificarunt in una sanctae Trinitatis fide, eo quod una sit in sancta Trinitate Divinitas.*

Cur in concilio Nicaeno nihil de Spiritus S. divinitate actum sit?

§. CXLIX.

Moleste adhuc sciscitantur Adversarii, cur si Spiritus Sanctus est Deus, Patres Constantinopolitani eum duntaxat Dominum appellarunt, non Deum? immo vel ipsi sancti Patres, qui data opera vel de Trinitate scripserunt, vel Macedonianos impugnarunt, nunquam ausi sunt Spiritum Sanctum expresse Deum nominare; et quod magis mirere, ipse S. Basilius, qui integrum librum de Spiritu S. composuit, in epist. 113. Presbyteros Tharsenses hortatur, ut Nicaena fide contenti nihil aliud a Macedonianis exposcant, quam ut fateantur, *Spiritum Sanctum creaturam dici non oportere.*

Cur Spiritus S. non fuerit appellatus Deus?

§. CL.

Verumtamen parum interest, a Concilio Constantinop. non fuisse Spiritum S. appellatum Deum,

Concilium Constant. sa-

tis aperte divinitatem Spiritus S. definivit.

cum ad ejus Divinitatem clarius exprimendam haec fuerint symbolo addita: *Credimus et in Spiritum S. Dominum, et vivificantem, qui a Patre procedit, et cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.* Ac praeterea ejusdem concilii Patres in epist. synod. ad Damasum R. P. credere se profitentur *unam Deitatem, et potentiam, ac substantiam Patris, et Filii et Spiritus Sancti; aequalem item dignitatem; et coaeternum imperium in tribus perfectis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis.* Damasus autem in sua epistola pariter synodica, postquam dixerat; *Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes non perfidiam mutavere, sed nomen,* subdit: *Si quis non dixerit, Spiritum Sanctum de Patre esse vere, ac proprie, sicut Filius de divina substantia, et Deum verum, anathema sit.*

Ac multo apertius Damasus R. P.

§. CLI.

Tum reliqui SS. Patres, licet Deum saepius non nominaverint.

Aliorum autem Patrum prudentem fuisse oeconomiam dicit S. Gregorius Nazianz. Homil. 20. tum ne infirmos quosdam offenderent, qui Divinitatem Spiritus S. confitentes de nomine tamen Dei ipsi tribuendo ambigebant; tum ne haereticos magis in rabiem excitarent, ut expulsis catholicis Pastoribus, lupis ovile Christi traderent. (*) Ceterum omnino verum non est, nunquam fuisse nomen Dei a SS. Patribus Spiritui S. tributum. Id factum fuisse a S. Hilario ostenderunt ejus operum editores in praefat. ad libros *de Trin.* n. 14. et seq. et de S. Basilio videri potest ejus epist. 8.

§. CLII.

Expenditur mens Dion. Alexand.

Praeter haec unus est, quem nobis praecipue opponunt adversarii, S. Dionysius Alexandrin. de quo haec habet S. Basilius in epist. 9. *Voces emisit mi-*

(*) Non defuerunt, qui S. Basilium propter hanc oeconomiam reprenderent, contra quos videri potest Julianus Garnerius Benedict. in Praefat. tertii Tomi operum S. Basilii §. 3. nec non Prud. Maran ejusdem instituti in vita S. Basilii cap. 18.

nime dignas Spiritû ab adorata illum Deitate sejungens, et in inferioribus una cum creata ac ministra natura numerans. Verum praeter ea quae supra §. 103. diximus ad excusandum S. Dionysii excessum, certum est, hunc Patrem a Basilio in Lib. *de Spiritu Sancto*, cap. 29. in iis numerari, qui Spiritus S. divinitatem praedicarunt. Et reipsa *in resp. ad Propositiones Pauli Samosat.* haec habet: *Non impune feret is, qui adversus benignum Spiritum Sanctum blasphemus est: Spiritus autem est Deus.* Et haec de Spiritus Sancti Divinitate; nunc de ejus processione; prius tamen de processione Filii agendum est.

CAPUT XVI.

De Processionibus divinis.

§. CLIII.

Processio est *origo unius ex alio*; duplex autem a Theologis distinguitur divina Processio, una *ad extra*, qua creaturae omnes a Deo procedunt; alia *ad intra*, qua Filius a Patre, et Spiritus S. a Patre et Filio originem trahunt. Porro ex negatis hisce divinis processionibus, errores, quos hactenus impugnavimus Sabellii, Arii, et Macedonii orti sunt, unde S. Thomas 1. P. Qu. 27. art. 1. ostendit, *fide catholica* processiones esse in Divinis ponendas. (*) Quid sit processio et quotuplex.

§. CLIV.

Processio Filii a Patre luculenter traditur Joan. VIII. 42. ubi Christus de seipso dicit: *Ego ex Deo processi.* Quod etiam Filius a solo Patre procedat, profitetur Ecclesia iis verbis in symb. *Quicumque*: Processio Filii a solo Patre.

(*) Praeter Trinitatis hostes, divinas Processiones negavit Herm. Alex. Roellius, contendens nonnisi improprie has voces *gignere*, *nasci*, *Pater*, *Filius*, in Divinis Personis usurpari. Roellium impugnavit Vitringa, totamque hujus controversiae historiam exhibet Henr. Rud. Benthemius *de statu Ecclesiarum*, et *scholarum foederati Belgii* P. 2. cap. 2.

Filius a solo Patre est, non factus, nec creatus, sed genitus. Ratione istius processionis secunda Trinitatis persona dicitur communiter in sacris Litteris *Filius, Verbum, et Imago Patris.* Dicitur *Filius,* quia a Patre per veram generationem procedit; adeoque natura Filius Dei est, non gratia, et adoptione.

§. CLV.

Qui vocatur etiam Verbum.

Vocatur etiam *Verbum Dei*, ut in cap. I. Evangel. Sancti Joannis, in vers. 7. cap. V. Epist. I. ejusdem Sanctis Joannis, et alibi; quae appellatio desumpta est a similitudine verbi interni, quod mente cogitando proferimus; cum hoc tamen discrimine, quod verbum nostrum non est nisi accidens, nec menti coaevum, cum non semper in eadem fuerit, nec semper in ea permaneat, Verbum autem Dei Persona est subsistens, et Patri coaeterna, quod Sanctus Joannes expressit dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Hoc autem nomen ita secundae Personae proprium est, ut nec primae, nec tertiae ullo modo conveniat; et reipsa nullibi in sacris Litteris, vel apud Sanctos Patres ulli alteri quam secundae Personae tributum legitur.

§. CLVI.

Atque imago Patris.

Dicitur etiam secunda Persona *Imago Dei* II. ad Corinth. IV. 4. et Colossens. I. 15. Immo Sanctus Hilarius Lib. 8. *de Trinit.* Sanctus Augustinus Lib. 6. *de Trinitate*, cap. 2. item Lib. 7. cap. 1. et nonnulli alii Patres hoc nomen *Imaginis* proprium secundae Personae esse docent; quamquam Athanasius in epist. 2. *ad Serapionem*, Basilius Lib. 5. *contra Eunomium*, et communiter fere Patres Graeci etiam Spiritui Sancto nomen *Imaginis* tribuerunt. Illud tamen caute notandum, ab hoc nomine *Imaginis* removendam esse quamcumque imperfectionem, quae in imaginibus creatis sive artefactis, sive etiam naturalibus inveniri solet; et Filius concipiendus est ut imago Patris perfectissima, eandem habens essentiam, et sola hypostasi, seu personali subsistentia distincta.

§. CLVII.

Ab eodem Patre procedit Spiritus Sanctus, quod Christus testatus est Joan. XV. 16. inquiens: *cum venerit Paraclitus, qui a Patre procedit*: sed cum hoc discrimine a processione Filii, quod ista fiat per intellectum, altera per voluntatem; nam Pater intelligendo seipsum generat Filium, et ex mutuo amore Patris et Filii procedit Spiritus Sanctus tertia Trinitatis Persona. Hinc etiam nomen *Caritatis* Spiritui Sancto tribuitur, unde Apostolus Roman. V. 5. *Caritas Dei*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Nec a Patre solum, sed etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere catholica fides docet. Verum cum hoc postremum pertinaciter a Graecis schismaticis negetur, copiose, et accurate demonstrabit sequens

Processio Spiritus S. a Patre per voluntatem.

CAPUT XVII.

Ostenditur Spiritum Sanctum vere atque interne a Filio procedere.

§. CLVIII.

Quinam primo hoc negaverint, non est omnino compertum. Sunt qui putant primam hujus erroris originem esse repetendam a Nestorianis Sec. V. alii vero a Monothelitis Sec. VI. Illud certum est Sec. VIII. furentibus Iconomachis sub Constantino Copronymo processionem Spiritus Sancti a Filio aperte a nonnullis negari coepisse, quod colligitur ex Concilio habito in villa Gentiliaco prope Lutetiam anno 767. sub Pipino Francorum Rege. Initio etiam Sec. IX. sub Carolo magno habita est Synodus Aquisgranensis, ut *processio Spiritus Sancti a Filio sanciretur*. Haec prima sunt certiora hujus erroris vestigia, qui postea eodem Sec. IX. et XI. occasione schismatis a Photio, et Cerulario excitati magis dilatatus est. Fuit quidem semel et iterum, scilicet in Concilio Lugdunesi II. anno 1274. cui Gregorius X. R. P. praefuit, et in Florentino sub Eugenio IV. anno 1439. pax restituta, et processio Spiritus Sancti a Filio communi utriusque Ecclesiae graecae,

Quandonam primo processio Spiritus S. a Filio negata fuerit?

et latinae consensu definita, sed Graeci in patriam reduces ad pristinum errorem reversi sunt, paucis in fide permanentibus. (*)

§. CLIX.

Prob. ex sacris Litt. Jo. XVI.

Quamquam vero in sacris Litteris non ita expresse dicatur Spiritum S. procedere a Filio sicut dicitur procedere a Patre, plurima tamen sunt loca, quae id non obscure insinuant; imprimis autem Joan. XVI. 13. et sequ. ubi Christus de Spiritu S. loquens ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis: omnia quaecumque habet Pater mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis*: quorum verborum hic obvius sensus est: omnia, quae habet Pater, mea sunt; mea est igitur etiam virtus spirativa, per quam Spiritus S. ab ipso procedit; ac propterea Spiritus S. de meo accipiet, hoc est meam essentiam, procedendo a me, sicut procedit a Patre.

§. CLX.

Praecluditur falsa hujus loci interpretatio.

Frustra autem sunt, qui ea Christi verba *de meo accipiet* intelligi volunt *de meo sermone*, vel *de meo thesauro*, aut alio quovis modo; pluribus quippe argumentis constat, intelligi debere *de meo esse*; nam I. id eruitur ex antiquis versionibus: Persica habet *a me accipiet*: Arabica *accipiet de eo, quod meum est*: Æthiopica *totum quod habet, meum est*: ac demum Syriaca, quae omnium antiquissima est, et ad prima Ecclesiae tempora pertingit, sic legit: *quippe qui de me est*. II. nec aliter hunc locum intellexerunt antiqui Interpretes; nam S. Epiphanius *in Ancorato* ait: *Cum Christus ex Patre credatur Deus ex Deo, et Spiritus ex Chri-*

(*) De Graecorum schismate praeter universalis Hist. Eccl. auctores scripsit Lud Maimbourg, copiose quidem, sed non omnino accurate. Videri possunt Petavius Lib. 7. *de Trinit.*, Natalis Alexander Dissert. 4. in Sec. IX., et X., P. de Rubeis in duabus dissert. adnexis vitae Georgii Cyprii, Michael Le-Quien dissert. prima *Damascenica*, et qui 4. volum. in fol. omnia complexus est Card. Laur. Cozza in *Hist. Polem. de Graecorum schismate ex Eccles. monum.*

sto, *sive ambobus*, *ut Christus his verbis asserit* : *qui a Patre procedit*, *et hic de meo accipiet*. Didymus pariter nobilis Sec. IV. interpres ita hunc locum explicat Lib. II. *de Spiritu S. Non enim loquetur ex semetipso*, *qui non ex se est*, *sed ex Patre*, *et ex me* : *hoc enim ipsum quod subsistit*, *et loquitur*, *a Patre*, *et a me illi est*. Demum ut brevior sim, S. Cyrillus Alexand. Lib. II. *in Joan.* ita Christi verba declarat : *Quoniam consubstantialis Filio est*, *proceditque per eum*, *omnem ipsius in omnibus perfectissimam habens efficientiam*, *et virtutem*, *ideo dicit* : *de meo accipiet*.

§. CLXI.

Prob. etiam ex Patribus graecis.

Praeter hos, qui laudata Christi verba commentati sunt de processione Spiritus S. a Filio, multi alii praesto sunt Ecclesiae graecae Patres (nam de latinis nullam umquam Schismatici moverunt quaestionem): Et quidem veterum Graecorum sententiam satis prodit Epistola Synodica ; quam S. Cyrillus Alexandr. nomine Episcoporum Ægypti ad Nestorium dedit, quaeque fuit in Concilio Ephesino probata ; in ea enim haec de Spiritu S. habentur : *Non est ab eo* (Filio) *alienus*, *quandoquidem Spiritus veritatis nominatur* ; *Christus autem veritas est* ; *et proinde quoque ab illo*, *atque a Deo Patre procedit*. Longum esset de aliis Patribus dicere, eosque à calumnia adulterationis vindicare, quod multi ex nostris summa diligentia praestiterunt (*).

§. CLXII.

Ac demum duplici ratione.

Praeter sacrarum Litterarum, sanctorumque Patrum testimonia hactenus allata, duplici quoque ratione theologica Processio Spiritus S. a Filio manifeste evincitur. I. Suppeditat Concilium Florenti-

(*) Haec testimonia inveniri facile possunt in Theologis superiori nota recensitis, quibus alii pene innumeri addi possent. Praecipue tamen commendari meretur *Panoplia contra Schisma graec.* Steph. de Altamura seu Mich. Le. Quien, et quae duo eruditi graeci Petrus Arcudius, ac Leo Allatius ediderunt, vel ab ipsis scripta, vel ab aliis collecta, et latine conversa.

num in decreto unionis his verbis: *Quia omnia, quae Patris sunt, ipse Pater Unigenito suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus S. procedit a Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet.* II. Ratio est: si Spiritus S. a Patre solum, non autem a Filio procederet, nihil obstaret, quo minus Trinitatem enunciantes pro libitu diceremus: *Pater, Spiritus S., et Filius*; atqui id nullibi dictum reperitur, immo ordini a Christo in forma baptismatis instituto adversatur; ergo etc.

§. CLXIII.

Non obest quod scriptura non dicat expresse, Spiritum S. procedere a Filio.

Quod potissimum Graeci nobis objicere solent, est scripturae silentium, quae processionem Spiritus S. a Patre apertissime tradit Joan. XV. 26.*, de processione autem a Filio ne verbum quidem habet. Cui tamen argumento jam supra occurrimus §. 159. Sed praeterea observandum, neque in sacris Litteris dici, Spiritum S. procedere *solum* a Patre, quod Graeci addunt de suo; immo S. Thomas 1. P. qu. 36. art. 2. ad 1. scite observat, etiamsi particula exclusiva *solum* adderetur, non tamen negandam esse processionem Spiritus S. a Filio, quia omnia, quae dicuntur de Patre; intelligi etiam debent de Filio, iis solum exceptis, quibus Pater, et Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Sic quamquam Matth. XI. dicitur: *Nemo novit Filium nisi Pater*, non efficitur, Filium non noscere se ipsum. At vero virtus spirativa, quae est in Patre, non opponitur virtuti spirativae, quae est in Filio; immo una eademque est virtus, quae a Patre una cum essentia Filio communicatur.

§. CLXIV.

Nec etiam, quod id non fuerit expressum in Symb. Constant.

Eademque fere ratione solvitur simul difficultas ex symbolo Constantinopolitano depromta, ubi sola processio Spiritus S. a Patre credenda proponitur. Nempe Concilium reticuit quidem processionem Spiritus S. a Filio, non tamen negavit. Cur autem reticuerit, haec inter alias potuit esse causa, quia Pneumatomachi blasphemabant Spiritum S. procedere a Filio, ut ceterae creaturae procedunt.

§. CLXV.

Aliquanto implexius est, quod Graeci objiciunt ex actis Concilii Ephesini, ubi Theodoretus processionem Spiritus S. a Filio tamquam impiam, et sacrilegam S. Cyrilli doctrinam aperte impugnavit, quin tamen ullum ipsi hac de causa negotium facessitum fuerit. Cum enim S. Cyrillus anathematismo nono dixisset, *Spiritum S. proprium esse Filii*, ita Theodoretus ei respondet : *proprium autem Spiritum Filii, si quidem ut ejusdem cum eo naturae, et ex Patre procedentem dixit, simul confitebimur, et tamquam piam suscipiemus vocem; si vero tamquam ex Filio, aut per Filium exsistentiam habeat, hoc ut blasphemum, et impium rejicimus* : eandemque processionem multis aliis in locis impugnat. Praeterea in eodem Concilio Act. 6. lectum est, nec reprobatum Symbolum Theodoreti Mopsuesteni, in quo processio Spiritus S. a Filio diserte negatur; dicitur enim de Spiritu S. *Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium suam substantiam habentem.*

Proponitur difficultas ex iis, quae in Concilio Ephes. acta sunt.

§. CLXVI.

Mirum est tamen Graecos acutissimos non vidisse, his testimoniis, si quid valent, etiam effici, Spiritum S. non procedere a Patre *per Filium*; quod tamen ipsi post sanctos Patres communiter profitentur. Sed quantum ad Theodoretum, valde probabile est, eum tantummodo negasse, Spiritum S. procedere a Filio in sensu Macedonianorum, et Apollinaristarum, qui Spiritum S. a Filio procedere per creationem effutiebant; quem pravum, et haereticum sensum Theodoretus inscite S. Cyrillo appingebat. Mentem suam clarius aperit Theodoretus in epist. *ad monasteria* eamdem contra Cyrillum calumniam his verbis repetens : *Blasphemat vero in Spiritum S., non ex Patre ipsum procedere dicens, sed ex Filio esse. Iste Apollinarii seminum fructus; propinquat vero et Macedonii malignae culturae.* Quod idem dicendum de symbolo Nestoriano.

Solvitur, observando negatam fuisse processionem Spiritus S. a Filio per creationem.

§. CLXVII.

Alia difficultatis solutio.

Quod si etiam quis contendat, Theodoretum, et Nestorianos processionem Spiritus S. a Filio reipsa negasse, mirum tamen non esset, fuisse hunc errorem dissimulatum a Synodo Ephesina, quae ad condemnandas Nestorii blasphemias congregata erat. Ea est enim Ecclesiae oeconomia, ut, dum ad aliquem praecipuum errorem condemnandum incumbit, de aliis incidentibus sileat. Et sic supra §. 148. notavimus in Synodo Nicaena nihil de Spiritus S. Divinitate actum fuisse, quamvis eam quoque Arius impie negaret. Dici tamen potest implicite saltem hunc errorem fuisse in Synodo Ephesina damnatum, cum nempe S. Cyrilli epist. Synodica una cum 12. anathematismis eidem adnexis probata fuit. Scripta vero Theodoreti adversus Cyrillum in Synodo V. damnata. Sic etiam symbolum Theodori Mopsuesteni a Synodo Ephesina reprobatum fuit; adeoque implicite reprobata, aut ad minus nullatenus probata fuit ejus doctrina contra processionem Spiritus S. Ceterum S. Cyrillus etiam post initam pacem cum Orientalibus in doctrina de processione Spiritus S. a Filio constanter perseveravit: in Dialogo enim 7. *de Trinit.* Spiritum S. non esse alienum a Filio dicit, *quod ex ipso et in ipso et ipsius proprius sit*; et in Dialogo 3. *de Incarnat.* repetit Spiritum S. *ex ipso* (Christo) *esse, et ipsius proprium.* Hos autem Dialogos restituta jam cum Theodoreto concordia fuisse conscriptos, ostendit P. Le-Quien *Dissert.* 1. *Damascenica.*

§. CLXVIII.

Quo sensu Patres graeci passim dicant, Spiritum S. procedere *per Filium.*

Post haec multo labore colligunt veterum Patrum testimonia; qui passim docent, Spiritum S. procedere *a Patre per Filium.* Verum ut recte observavit S. Thomas. 1. P. Q. 36. ar. 3. quia Filius habet a Patre, quod ab eo procedat Spiritus S., potest dici, quod Pater per Filium spirat Spiritum S., vel quod Spiritus S. procedat a Patre per Filium, quod idem est. Et certe idem prorsus significari, cum Spiritus S. dicitur procedere *per Filium*, ac cum dicitur procedere *ex Filio*, pluribus momentis evinci potest. I. Iidem Patres graeci, qui saepius utuntur particula *per*, nonnumquam adhibent etiam

particulam *ex*, ut in locis supra §. 161. allegatis manifestum fit. II. Patres latini, a quibus admissam fuisse processionem Spiritus S. a Filio ultro Graecis concedunt, haud raro Spiritum S. a Patre per Filium procedere et ipsi dixerunt. III. Card. Bessarion non minus latine quam graece doctissimus in oratione de hoc argumento in Concilio Florentino habita pluribus adductis utriusque Ecclesiae Patrum testimoniis id evidenter ostendit. Denique in eodem Concilio Florentino post diuturnam hujus rei inquisitionem communi consensu ita in decreto unionis conclusum fuit: *Declarantes, quod id, quod SS. Doctores, et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum S. ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum vero Latinos principium substantiae Spiritus S., sicuti et Patrem.*

§. CLXIX.

Loca praecipua S. Jo. Damasc. contra process. Spir. S. a Filio.

Dissimulandum tamen non est, S. Joan. Damascenum, quem potissimum Ducem Graeci sequi se profitentur, non uno in loco processionem Spiritus S. a Filio negase aperte videri; nam Lib. 1. *de fide orthod.* cap. 8. de Spiritu S. inquit: *Eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen spiritum nominamus.* Et cap. 12. *Filii quoque*, ait, *Spiritus dicitur, non velut ex ipso, sed per ipsum ex Patre procedens; solus enim Pater auctor est.* Ac demum pluribus aliis locis omissis in Homil. *de Sabbatho S.* iterum de Spiritu S. loquens, *qui tamen*, inquit, *etiam Filii dicitur, quod per ipsum manifestatus, rebusque conditis impertitus; non autem ex ipso habens, ut existat.*

§. CLXX.

Dogmati catholico non obesse ostenditur.

Verum etiamsi detur, ita sensisse Damascenum, quando controversia haec nondum plene eliquata ac definita erat, minime tamen dubitandum est, eum Ecclesiae universae assensurum, si illa vixisset aetate, qua in duobus plane OEcumenicis Conciliis processio Spiritus S. a Filio definita fuit. Nec vero Graecis mirabile videatur, nos a Damasceni sententia reverenter discedere, ut aliis Ecclesiae Doctoribus, qui S. Joan. Damascenum, et vetustate, et auctoritate multo praecellunt, adhaereamus. Non impro-

babile etiam est, hunc S. Doctorem tantùm affirmasse, Spiritum S. a solo Patre procedere, quia Pater est primus fons virtutis spirativae, quam Filius ab eodem Patre simul cum essentia recipit. Potuit insuper etiam negare Spiritum S. habere existentiam a Filio eo modo, quo habent creaturae: ita Damascenum interpretati sunt Emmanuel Calecas, Card. Bessarion, aliique Graecorum doctissimi, et utramque responsionem S. Thomas approbat. Sane Damascenus Lib. 1. *de fide orthod.* cap. 18. vocat Spiritum S. *imaginem Filii*, sicut Filius imago est Patris; ex his autem verbis colligebat olim Hugo Heterianus, S. Joan. Damascenum admisisse processionem Spiritus S. a Filio; quemadmodum S. Gregorius Nazianz. orat. 26. Filium a Patre procedere colligit, quia ipsius imago est.

§. CLXXI.

Spiritus S. non procedit a Patre, et Filio, ut a duobus principiis.

Praeter argumenta ex auctoritatibus ducta, multas etiam ex ratione argutias Graeci objicere solent, et illam potissimum, quod Spiritus S. a duplici principio, et per duplicem actionem procederet. Quam tamen difficultatem multo antea preoccupaverat S. Augustinus Lib. 5. *de Trinit.* cap. 14. inquiens: *Fatendum est Patrem, et Filium principium esse Spiritus S., non duo principia: sed sicut Pater, et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator, et unus Dominus, sic relative ad Spiritum S. unum principium; ad creaturam vero Pater, Filius, et Spiritus S. unum principium, sicut unus creator, et unus Dominus.* Hujus autem ratio est, quia Pater, et Filius unum sunt in iis omnibus, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio; non opponuntur autem relative in eo, quod sunt principium Spiritus S.; adeoque sunt duae Personae spirantes, unica tamen spiratio, et unum principium: immo nec duo spiratores dici possunt, quia nomina substantiva pluraliter enunciata multiplicant formas. Et haec omnia in duobus Conciliis Lugdunensi, et Florentino apertissime declarata fuerunt.

§. CLXXII.

Ex hoc etiam sequitur, vanas esse illas Graecorum cavillationes; nempe in nostra sententia Spiritum S. a Patre magis distare, quam a Filio; tum prius esse genitum Filium, quam spiratum Spiritum S.; ac demum Spiritum S. posse appellari nepotem Patris. Haec omnia falsa sunt; cum enim, ut dictum est, una eademque sit virtus spirativa Patris, et Filii, Spiritus S. non magis distat a Patre, quam a Filio, et immediate ab utroque procedit.

Aliae Graecorum cavillationes enodantur.

§. CLXXIII.

Sic etiam falsum est processionem Spiritus S. esse posteriorem generatione Filii; utraque enim est aeterna, et in aeternitate nihil prius, aut posterius. Demum inepte Spiritus S. appellaretur nepos Patris; 1. Quia nepos est filius filii. Spiritus autem Sanct. non est Filius Verbi. 2. Quia nepos ab avo immediate non procedit, quemadmodum procedit Spiritus S. a Patre.

CAPUT XVIII.

De Particula Filioque *symbolo Constantinopolitano addita.*

§. CLXXIV.

Ut processio Spiritus S. a Filio fidelium animis altius infigeretur, haec vox *Filioque* Symbolo Constantinop. addita fuit; et 1. quidem in Ecclesia Hispana Seculo VI. cadente, cum scilicet Gothi sub Reccaredo rege ejurata Ariana Haeresi fidem orthodoxam amplexi sunt. Hispanos secuti sunt Galli Sec. VIII., et Sec. IX. Germani. Ab Italis autem ea vox adoptata creditur solum Sec. XI. ineunte sub Benedicto VIII., et quidem hortatu Henrici I. Imperatoris; (*) cujus Benedicti facilitatem non admodum pro-

Quo tempore haec particula in symbolo recitari coeperit?

(*) Haec probabiliter dicta sunt, non autem ex certis Historiae monumentis; qua de re videri potest P. Bern. de Rubeis in Dissert. 2. *Histor. et Dogm.* cap. 4.

bat Baronius inquiens ad an. 1014. *Nobis gratius, si venerandae antiquitati annorum mille magis delatum esset, quam novitati.* Universaliter tandem haec vox recepta fuit post Concilium Lugdunense II. Quamquam et illud notandum est, Graecis in eodem Concilio Lugdunensi permissum fuisse, ut eam omitterent, quae permissio renovata postea fuit in Concilio Florentino sessione 25.; atque iterum a Clemente VIII, in Bulla 34. Totus igitur controversiae cardo in eo dumtaxat volvitur, an licuerit Ecclesiae hanc vocem symbolo addere; quod primo ut creditur, inficiatus est Michael Cerularius, inde etiam praetextum renovandi schismatis accipiens, ut constat ex synodo ab ipso celebrata anno 1053.

Graecis eam omittendi potestas facta.

§. CLXXV.

Graecorum argumentum contra hanc vocem.

Potissimum autem Graecorum argumentum repetitur ex synodo Ephesina, quae P. 1. act. 6. decrevit, nemini licere alteram fidem proferre praeter eam, quae definita est a SS. Patribus Nicaeae congregatis cum S. Spiritu; quod decretum ita rigide interpretatus est S. Cyrillus Alexand., ut in epist. ad Joan. Antioch. negaverit, alicui fas esse, vel *unam voculam* ibi positam immutare. Idipsum postea confirmatum est in Synodo Chalcedon., ac saepe alias; praecipue vero in synodo VII., ubi post fidei definitionem universi Patres exclamarunt: *Nos legem Patrum custodimus, nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus.*

§. CLXXVI.

Solvitur, et ostenditur, id neque vetitum fuisse, nec vetari potuisse.

Verum his, aliisque similibus Ecclesiasticis statutis vetitum quidem est vel nova symbola condere, vel aliquid antiquis addere privata cujuslibet, non autem publica Ecclesiae auctoritate, quod patet primo ex poenis adjectis, quae nonnisi inferioribus, non autem paribus infligi possunt. Ulterius quis sibi fingat, Ecclesiam posse sibi ipsi potestatem adimere, quam semper habuit condendi symbola, aut aliquid eis addendi? Nec obsunt exempla Synodi Ephesinae, aut Chalcedonensis, quae aliquid Symbolo addere recusarunt; recusarunt enim id facere, quia nulla erat necessitas, non quia nulla esset ipsis potestas; potestas enim cujuscunque Synodi OEcumenicae eadem ipsissima est,

quae fuit in synodis Nicaena, et Constantinopolitana, a quibus plurima verba fuisse addita symbolo Apostolorum nemo ignorat.

§. CLXXVI.

Nec obest Leonis III. exemplum.

Inquiunt tamen Graeci: Cum Carolus magnus Imperator anno 810. a Leone III. postulasset, ut vocem *Filioque* symbolo interseri juberet, negavit sapientissimus Pontifex id posse se facere propter reverentiam sanctorum Patrum, qui illud condiderant. Immo ut periculosae novitati omnem viam praecluderet, symbolum duabus argenteis tabulis graece, et latine incidi curavit, easque in Basilica S. Petri palam affigi. Hoc tamen Leonis factum probat tantummodo, tunc minime necessariam, aut utilem fuisse illius vocis additionem, non autem non potuisse eum aut totam Ecclesiam in aliis circumstantiis id facere, si utile, aut necessarium fuisset, quod vel ipsi Graeci confessi sunt in Decreto Unionis his verbis: *Definimus insuper, explicationem verborum illorum* Filioque *veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate licite et rationaliter symbolo fuisse appositam* (*).

CAPUT XIX.

Cur processio Spiritus S. a Patre, et Filio appellari non possit generatio?

§. CLXXVIII.

Veterum Patrum Graec. responsio, id

Post brevem hanc de additione particulae *Filioque* digressionem ad Spiritus S. processionem redimus; ad quam tollendam Haeretici hoc etiam sophismate

(*) Haec brevius contraximus; si quis autem plura desiderat, adeat Natalem Alexandrum dissert. 37. in sec. IV. art. 3. et dissert. 18. in Sec. IX. et X. assert. 1., P. Mich. Le-Quien Dissert. 1. *Damascen.* et *in Panoplia adversus Graecos*, et P. Bern. de Rubeis in Dissert. 21 Hist. Dogm. *de additione vocis Filioque*; tum etiam *in praefat. ad tractatum de Peccato Originali*, ubi plures Graecorum nugas refert, et refellit. Legi etiam merentur collationes habitae in Conc. Florent., in quibus Latini demonstrarunt illam particulam *Filioque* proprie dici non posse *additionem*, sed potius *declarationem*.

esse, credendum, et non curiose inquirendum.

utebantur: si enim, inquiebant, Spiritus S. a Patre, et Filio vere et interne procedit, cur non et ipse Filius utriusque nominatur? Cui quidem permolestae quaestioni S. Athanasius in epist. *ad Serapionem* respondebat: nunquam in Scripturis Spiritum Sanct. nominari Filium, aut fratrem Filii, aut nepotem Patris, ac deinde subdebat: *Sufficit hoc nosse, Spiritum S. non esse creaturam, neque inter opera numerari. . . . haec sufficiunt fidelibus: hucusque humana pertingit cognitio: hucusque cum ventum est, Cherubim obvelant faciem ejus. Qui autem plura istis inquirit, et perscrutari cupit, male obtemperat dicenti: Ne nimium sis sapiens, ne obstupescas. Nam quae fide tradita sunt, haec non humana sapientia, sed auditu fidei percipienda sunt.* Eadem fere habent S. Basilius *de Spiritu S.* cap. 18., et in Orat. *contra Sabellianos*, Gregorius Nazianz., Epiphanius, et alii Patres graeci, qui contra Arianos, ac Macedonianos pugnarunt.

§. CLXXIX.

Idem censent Latini, ac praecipue Augustinus.

Inter Latinos autem unum sufficiat audire S. Augustinum, qui Maximino versute interroganti, si de substantia Patris aeque est Spiritus S., et Filius, *cur unus filius sit, et alius non sit filius?* ita respondet Lib. 2. cap. 14.: *Respondeo sive capias, sive non capias: de Patre est Filius, de Patre est Spiritus S., sed ille genitus, iste procedens: ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit . . . . Amborum est ergo Spiritus procedendo de ambobus. Quid autem inter nasci, et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? non omne, quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur . . . . Haec scio, distinguere autem inter illam generationem, et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Et ita passim SS. Patres.

§. CLXXX.

Nihilominus aliquam hujus rei probabilem

Sapienter tamen monet Petavius Lib. 7. *de Trinit.* cap. 13. non ita haec interpretanda esse, quasi nulla pro humano captu investigari ratio possit, aut

nefas sit, ea de re disputare; nam ipsi veteres Patres aliquas hujus rei causas saltem probabiles exposuerunt, quarum decem ibi enumerat Petavius. Ex iis autem unam breviter exponemus, quae ceteris verosimilior videtur, et quam S. Thomas explicat 1. P. Qu. 27. art. 2.: Generatio, inquit, significat originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto, secundum similitudinem naturae: tria igitur requiruntur, ut aliqua processio dici possit generatio. 1. Ut tam genitum, quam generans sit vivens; quapropter sudor, calculi, pili, capilli, et id genus alia, quae a corpore humano oriuntur, proprie non dicuntur generari. 2. Ut generans sit conjunctum, hoc est, ex sua substantia producat genitum; hinc primus homo a Deo formatus illius filius dici non potest, quia Deus non de sua substantia fecit illum, sed de limo terrae. 3. Ut genitum procedat in similitudinem naturae a generante, non secundum genus, sed plane secundum speciem: hinc vermes, qui a corpore humano scatent, licet viventes, hominis tamen filii appellari minime possunt. Jam vero haec tria in processione Verbi habentur, ex quo procedit per intellectum; procedit enim per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae; procedit a principio conjuncto, cum ipsissimam Patris essentiam recipiat; procedit denique in similitudinem naturae, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae.

rationem reddi posse crediderunt.

Quid proprie generatio sit?

Ostenditur illam inveniri in processione Filii.

§. CLXXXI.

Res contra se habet in processione Spiritus Sancti, quae fit per voluntatem. Voluntas enim non exit in actum per aliquam similitudinem cum objecto volito, sed per quamdam inclinationem in illud: atque hinc fit, ut quod procedit per voluntatem, non procedat in ratione similitudinis; adeoque nec genitum proprie dici possit. Igitur Spiritus Sanctus ex voluntate procedens proprie genitus, aut filius dici non potest. Et quamvis similis Patri sit, utpote illi consubstantialis, hanc tamen similitudinem non habet ex vi processionis, sicuti habet Filius, sed tantum ratione essentiae.

Non autem in processione Spiritus S.

§. CLXXXII.

Spiritus S. dici non potest genitus.

Hanc rationem ab antiquis Ecclesiae Patribus, Athanasio praesertim, Basilio, Gregorio Nazianz., Chrysostomo, atque etiam Augustino insinuatam fuisse copiose ostendit Petavius cap. 14. Ceterum quaecumque hujus discriminis causa sit, omnino cum Ecclesia catholica fatendum est, *Spiritum Sanctum a Patre, et Filio non factum, nec creatum, nec genitum, sed procedere* (in Symbolo vulgo Athanasiano); unde et Rom. Pontifices olim profiteri solebant „ se credere Spiritum S. *nec genitum, nec ingenitum, sed de Patre, Filioque procedentem* (apud Garnerium in tertia profess. fidei Rom. Pont.).

CAPUT XX.

De relationibus, quae ex divinis processionibus oriuntur.

§. CLXXXIII.

Quatuor relationes in divinis.

Ex duabus processionibus, quas supra cap. XVI. explicuimus, quatuor oriuntur relationes: scilicet *Paternitas*, qua prima Persona refertur ad secundam; *Filiatio*, qua secunda vicissim refertur ad primam; *Spiratio activa*, qua Pater, et Filius referuntur ad Spiritum Sanctum; ac demum *spiratio passiva*, qua Spiritus S. a Patre, Filioque procedit. Has autem relationes reipsa esse in Divinis, tam certum est, quam certum est, tres esse distinctas in una essentia Personas: cum enim Personae non distinguantur per attributa absoluta, quae omnibus communia sunt, si nullae essent relationes Personarum propriae, nec ulla esset Personarum distinctio; adeoque totum Trinitatis mysterium corrueret.

§. CLXXXIV.

A quibus tamen omnis imperfectio removenda est.

Omnis tamen a divinis relationibus imperfectio removenda est; quamobrem ex iis nulla resultat mutua Personarum dependentia, cum una Persona sit dumtaxat principium, et origo alterius, non autem causa. Neque rela tiones divinae distinguntur realiter

ab essentia; id tamen non obest, quin plures sint relationes, et unica tantum essentia; quia cum essentiae non opponantur, possunt omnes in eadem essentia inveniri. Contra vero cum relationes sibi invicem opponantur, inter se realiter etiam distinguuntur. Hinc illud theologicum axioma: *In Deo omnia sunt unum, et idem, ubi nulla est oppositio relativa.*

CAPUT XXI.

Brevis ἀνακεφαλαίωσις *eorum, quae dicta sunt, seu totius Mysterii Trinitatis summa.*

§. CLXXXV.

S. Augustini exemplum sequimur.

S. Augustinus ita Librum suum secundum contra Maximum conclusit: *Ex his ergo omnibus, quae sicut potui, disputavi, satis apparet, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti unam esse virtutem, unam esse substantiam, unam Deitatem, unam majestatem, unam gloriam, quia ipsa Trinitas est unus Dominus Deus noster* etc. Hoc exemplum secuti, ea quae superioribus capitibus fusius contra haereses disputavimus, quasi in unum colligentes, totam hujus augusti Mysterii summam breviter ob oculos ponemus. Utemur autem fere iis verbis, quibus Ecclesia in symbolo vulgo Athanasiano breviter illud exponit.

§. CLXXXVI.

Mysterii Trinit. basis.

Porro quasi basis, et fundamentum hujus Mysterii est, *ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes Personas, neque substantiam separantes*; quibus verbis duae capitales haereses profligantur, Sabelliana, et Ariana, quarum prima Personas confundebat, altera substantiam separabat. Tres ergo admittendae sunt divinae Personae inter se realiter distinctae, una autem numerica, et indivisa earum essentia, quia non tres Dii, sed unus est Deus.

§. CLXXXVII.

Prima Trinit. Persona.

Prima ex his Personis ceterarum origo est, et principium, ipsa autem sine principio. Dicitur autem Pater, quia ab aeterno generat Verbum; Verbum inquam non transiens, sed per se semper subsistens; et quod cum habeat eandem essentiam Patris sibi communicatam, vere est Deus, non ingenitus tamen sicut Pater, sed genitus Deus verus de Deo vero, Filius unigenitus, qui est in sinu Patris, eique ὁμοούσιος. Tertia autem Persona, quae Spiritus S. appellatur, a Patre, et Filio procedit non tamquam a duobus principiis, sed tamquam ab uno, eodemque principio, quia una, eademque est in Patre, et Filio virtus spirativa.

Secunda.

Tertia.

§. CLXXXVIII.

Περιχώρησις, seu *Circuminsessio.*

Porro cum in tribus hisce distinctis Personis una, eademque numero sit essentia, Pater est totus in Filio, et Spiritu S., Filius item totus in Patre, et Spiritu S., ac demum Spiritus S. totus in Patre, et Filio: haec mutua Personarum in se invicem coexistentia a Grecis appellatur περιχώρησις, a Latinis autem *circuminsessio*. Haec *circuminsessio* duas capitales haereses Sabellii, et Arii manifeste explodit. Sabellii quidem; si enim Pater, et Filius Personae non essent distinctae, non potuisset Christus dicere: *Pater in me est, et ego in Patre*; quod enim unum est, non potest dici in seipso. Arii autem; quia si una non esset divinarum Personarum essentia, non posset una esse in alia. Propter eandem essentiae unitatem quaecumque uni Personae conveniunt, conveniunt etiam et ceteris; nec ulla alia poni, aut excogitari potest in Divinis realis distinctio praeter eam, quae ex oppositis relationibus oritur. Quae omnia mirifice complexus est auctor symboli *Quicumque*, vulgo S. Athanasio adscripti. Vid. P. I. Isag.

CAPUT XXII.

De cautelis servandis in Mysterio Trinitatis explicando.

§. CLXXXIX.

Prudenter Theologi aliquas statuerunt regulas, ad quarum amussim omnes de hoc Mysterio loquendi formulae exigendae sunt. Prima est: Nomina substantiva in plurali numero de Deo dici non possunt, quia substantiae multiplicitatem significant, unde falsae sunt hae propositiones: *Pater, et Filius, et Spiritus S. sunt tres Dii, tres Domini, vel tres Creatores* etc. Nomina autem adjectiva in plurali de Deo enunciari possunt, quia haec multiplicant Personas, non substantiam, unde nil vetat, quin dicamus: Pater, et Filius, et Spiritus S. sunt tres *creantes*, tres *beatificantes* etc. Immo ut S. Thomas observat, vere dici posset, esse tres aeternos, tres immensos etc.: et quamquam id negari videatur in symbolo *Quicumque*, eo tantum sensu negatur, quo vocabula ista sumuntur *substantive*; nam in sensu adjectivo in eodem symbolo dicitur: *Totae tres Personae coaeternae sibi sunt, et coaequales.* Sic etiam cum apud SS. Patres similia verba leguntur in plurali numero enunciata, *adjective* intelligenda sunt, non *substantive.*

Prima regula: Nomina substantiva non possunt in num. plur. enunciari.

Bene vero adjectiva.

§. CXC.

Alia regula est. Dici potest: *Deus Deum genuit*, nomine Dei intelligendo Personam; unde Patres Nicaeni in symbolo appellarunt Filium *Deum de Deo*, *Deum verum de Deo vero.* Sed si hoc nomen *Deus* sumatur pro essentia, tunc falsa erit illa propositio, quia essentia nec generat, nec generatur; ut enim in Concilio Lateranensi quarto definitum fuit: *Essentia non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater, qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus S. qui procedit.* Quod si quandoque sancti Patres *substantiam a substantia* genitam esse dixerunt, improprie eorum locutiones intelligendas esse ostendit Estius in I. Dist. 5. §. 2.

Secunda regula: Persona generat, aut spirat, non essentia.

§. CXCI.

Tertia reg. Deus est trinus, non triplex.

Tertia Regula est. *Trinitatem* de Deo dici posse, quia significat numerum ternarium Personarum; non autem *triplicitatem*, quia haec significat proportionem inaequalitatis: unde etiam S. Augnstinus Lib. 6. *de Trinit.* cap. 1. inquiebat: *Nec quoniam Trinitas est* (Deus) *ideo triplex putandus est; alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, et Filius.*

§. CXCII.

Quarta. Quae de essentia dicuntur, in sing. num. dici debent; et quae de propriet. personal. in plurali.

Quarta Regula. Nomina, quae Personis Divinis ratione essentiae conveniunt, singulari numero enunciari debent; quae vero iisdem conveniunt ratione proprietatum personalium, plurali. Hinc primo una est existentia in Deo, tres autem subsistentiae. II. Una infinitas, una aeternitas, non tres infinitates, aeternitates etc. III. Dici potest aequaliter Trinitatem esse unam rem, designando essentiam; et esse tres res, si designentur Personae. IV. Dici potest *alius* Pater, *alius* Filius etc.: non tamen Pater est *aliud* a Filio; quia nomen *alius* designat personam, et *aliud* naturam. V. Potest dici Deus *solus* cum aliquo adjuncto, ex. gr. solus Deus est aeternus; non autem sine adjuncto, quia tunc excluderetur Personarum Trinitas; eademque de causa Deum appellari non posse *singularem*, vel *unicum*, ostendit S. Hilarius Lib. 7. *de Trinit.*

§. CXCIII.

An dici possit: *Trina Deitas*?

Ex his colligi potest, puram, putamque fuisse λογομαχίαν celebrem illam quaestionem ortam sec. IX. *de Trina Deitate.* Hincmarus Remensis Episcopus contendebat, id sine haeresi dici non posse, quia Deitas naturam significat, quae una est; hinc vetuit cani in hymno plur. Martyr. *Te Trina Deitas, unaque poscimus* etc. et librum edidit *de non trina Deitate.* Hincmaro se opposuerunt Ratramnus Monachus Corbejensis, et infelix Gotteschalcus, qui tunc in carcere Altivillarensi macerabatur, asserentes, trinam, et unam Deitatem catholice dici posse. Nempe Deitas naturaliter una est, personaliter autem trina; unde usus etiam obtinuit in Ecclesia canendi: *Te trina Deitas, unaque poscimus.*

CAPUT ULTIMUM.

Ostenditur mysterium Trinitatis rectae rationi non repugnare. (*)

§. CXCIV.

Quia Verum non opponitur Vero.

Verum vero contrarium esse non potest, quia impossibile est idem simul esse, et non esse: mysterium autem Trinitatis certe verum est, utpote a Deo manifestissime revelatum, et ab Ecclesia, quae errare non potest, omnibus fidelibus ad credendum propositum: quae etiam recta ratio nobis evidenter proponit, certe vera sunt: non igitur mysterium Trinitatis rationi contrarium esse potest. Quod etiam manifestius apparebit, solvendo praecipuas adversariorum cavillationes.

§. CXCV.

Trinitas non opponitur illi principio: *Quae sunt eadem*, etc.

Principium, inquiunt Trinitatis hostes, longe evidentissimum est: *quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; huic autem principio mysterium Trinitatis e diametro opponitur; nam Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sunt unum idemque cum divina essentia, nec tamen sunt idem inter se. Sed resp. Principium illud de iis esse intelligendum, quae sunt idem cum uno tertio *re, et ratione*, non autem de iis, quae sunt idem *re*, differunt tamen *ratione*. Sicut non licet ita colligere: *actio, et passio sunt*

(*) Ita non solum contra Socinianos, sed etiam contra Baelium, qui mysteria esse contra rationem colligit, quia sunt supra rationem (Vid. I. P. Isagog. §. 26.). Nullo autem modo probari potest, quod Huetius habet in *Quaest. Alnet.* Lib. 1. cap. 4. nempe rationem esse submittendam fidei, *etiamsi quid sibi manifesto contrarium et repugnans ab ea proponeretur; velut si credere juberetur, falsa esse prima principia, nec totum esse majus sua parte, nec aequalia aequalibus addita, facere aequalia.* Simile quid docuerat etiam P. Elizalde *in forma verae Relig. quaerendae et inven. cap.* 14. ubi inquit, *credendum esse Ecclesiae hierarchicae, si ipsa nigrum illud diceret, quod oculis videtur album.* Hypotheses hae sunt impossibiles, et absurde proponuntur.

idem cum motu : ergo sunt idem inter se, quia non sunt idem ratione cum motu, sed re tantum, et cum actio opponatur relative passioni, propter hanc mutuam oppositionem actio realiter distinguitur a passione, licet actio et passio non distinguatur realiter a motu. Hoc eodem fere modo tres divinae Personae reipsa sunt idem cum essentia divina, ratione tamen ab ipsa distinguuntur; et insuper sibi mutuo relative opponuntur; unde fit, ut inter se realiter distinguantur.

§. CXCXI.

Solvitur vetus sophisma.

Non dissimiliter solvitur vetus ille Sabellianorum paralogismus: *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus; ergo sunt tres Dii*; quemadmodum cum dicitur: Petrus est homo, Paulus est homo, Joannes est homo, recte infertur esse tres homines. Paralogismus inquam est: nam Petrus, Paulus, et Joannes sunt tres homines, quia quilibet eorum naturam habet ab aliis distinctam: Personae autem divinae eandem habentes naturam non sunt nisi unus Deus. Atque etiam ita argumentari licet: *Pater est Persona, Filius est Persona, Spiritus Sanctus est Persona: ergo tres sunt Personae*, quia Personae propter connotationem, et relationem mutuam debent ab invicem distingui. Non autem ex quo Pater sit Deus, Filius item sit Deus, et Spiritus Sanctus pariter sit Deus, colligere possumus esse tres Deos, quia natura Divina est quid absolutum, non relativum; quae proinde non multiplicatur, multiplicatis Personis, sed infinita cum sit, potest omnes tres Personas in se continere.

§. CXCVII.

Ob distinctionem rationis vera sunt praedicata contradictoria.

Neque mysterium Trinitatis opponitur alteri principio: *impossibile est idem simul esse, et non esse*; diversa enim ratione Divinitas est una, et trina: una in essentia, trina in personis. Sic etiam est ingenita in Patre, genita autem in Filio; est incommunicabilis ratione personae, communicabilis autem ratione naturae, quae a Patre communicatur Filio, et a Patre et Filio communicatur Spiritui Sancto. Sola itaque distinctio rationis sufficit, ut praedica-

ta contradictoria in Deo simul consistant: quemadmodum etiam ob eandem rationis distinctionem homo dicitur convenire cum brutis, et ab iis differre.

§. CXCVIII.

Quomodo Personae licet infinitae distinguantur?

Sed illud difficilius explicatu videtur, quomodo tres personae infinitae sint, et tamen una distinguatur ab alia; si enim ab invicem distinguuntur, una aliquid habere debet, quod non habet alia; hoc autem pugnat cum idea infiniti, quod nulla perfectione carere potest. Haec difficultas solvitur observando, personas esse infinitas in genere relativo, non in genere absoluto. Sic Pater, ut Pater, habet omnes perfectiones possibiles Paternitatis; unde fit, ut nonnisi unus Pater esse possit: non autem habet, aut habere potest perfectiones, quae competunt Filio, ut Filio, alias Pater esset Filius: hinc praeter Patrem potest, immo debet esse Filius, qui pariter in suo genere relativo est infinitus: et sic de Spiritu Sancto loquendum est. Quamvis autem una persona, *reduplicative* ut persona, habeat aliquid, quo caret altera, mediate tamen et absolute singulae Personae habent perfectiones aliarum, scilicet ratione divinae essentiae, quae una, eademque est in omnibus. Sic quamvis Pater non habeat perfectiones Filii, nec Filius perfectiones Patris, quia tamen uterque unam eandemque habet naturam divinam, a qua nec Paternitas, nec Filiatio, nec aliae perfectiones realiter distinguuntur, sic mediante hac natura divina singulae Personae habent perfectiones aliarum. Quamobrem tametsi falsa sit haec propositio: *Pater est Filius*; hae tamen verae sunt: *Pater est ille Deus, qui Filius est*; *et Filius est idem Deus, qui Pater*; idque propter Personarum circuminsessionem, de qua supra diximus §. 188. Et haec satis de hoc sublimi Religionis mysterio (*).

(*) Haec et alia hujus generis sophismata in veterum Sabellianorum officina jamdiu fabricata, a SS. Patribus explosa feliciter jam fuisse ostendit Nat. Alexander Diss. 25. in sec. III. Videatur etiam S. Thomas in Lib. IV. *contra Gentiles*, Cap. IX. et sequ. et praeter Scholasticos consuli potest Opusculum, quod Guill. Godes. Leibnitius contra Andream Wissowatium edidit, cui titulus: *Sacrosancta Trinitas per nova argumenta logica defensa.*

Quod modo credimus ex iis, quae Deo nobis revelare placuit, perspicue autem intelligemus, quando in caelis videbimus Deum sicuti est. *Cum enim unus Deus videtur*, inquit Sanctus Augustinus in Psal. 84. *Trinitas videtur, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus . . . . Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: ergo *Deus promisit ostendere se nobis. Qualis est pulchritudo ejus, Fratres, cogitate. Omnia ista pulchra, quae videtis, quae amatis, ipse fecit. Si haec pulchra sunt, quid est ipse? Si haec magna sunt, quantus est ipse? Ergo ex istis, quae hic amamus, illum magis desideremus, et contemnentes ista, illum diligamus; ut ipsa dilectione per fidem cor mundemus, et mundatum cor nostrum inveniat aspectum illius.*

Finis Tomi Primi.

INDEX

CAPITUM QUÆ TOMUS I. COMPLECTITUR.

PARS I. ISAGOGICA.

PARS II. DOGM.

PARS TERTIA.

FINIS.